


















HORTUS VELAVICUS,

SIVE

COMPENDIUM VITÆ POËTICUM,

REFERENS

FLORES

Ex Poëtarum, tum veterum, tum recentiorum, pratis viridissimis excerptos, & in Locos Communes redactos, nunc vero in usum Studiosae Juventutis, quae in Illustri Gymnasio NASSOVIO-VELAVICO, quod HARDEROVICI est, floret,

In lucem editos

à

JOHANNE SCHRASSERT

Jureconsulto.

SUB SYMBOLO:

RECTE FAC: NEMINEM TIME.



HARDEROVICI,

Apud JOHANNEM MOOJEN, Bibliopolam MDCCLIII.

AD SYMBOLUM:

Cur Proceres, cur me Romana Palatia vexent?
  Si faciam, quod me Lexque Pudorque jubent.

PERILLUSTRIBUS GENEROSISSIMIS

VIRIS

DOMINO DOMINO

FREDERICO GULIELMO

BARONI

TORCK

DOMINO IN HEERJANSDAM, ORDINIS TEUTONICI LEYDENSIS ET CATTOVICENSIS MAGISTRO, CAMERAE DOMANIORUM DUCATUS GELRIAE ET COMITATUS ZUTPHANIAE PRAEFECTO-PRAESIDI, URBIS *MOSA-TRAJECTINAE* NOMINE CELSISS. ET PRAEPOT. ORDINUM GENERALIUM FOEDERATI BELGII PRAETORI, ETC. ETC. ETC.

DOMINO DOMINO

HERIBERTO

VAN

WESTERVELT

DOMINO IN ESSENBURG, J. U. D. CIVITATIS *HARDERVICENAE* CONSULI PRIMARIO, SUMMAE DYNASTIAE *LOO* SCABINO, JUDICII VENATORII IN VELAVIA ASSESSORI, ETC. ETC. ETC.

PA-

PATRIÆ PATRIBUS,

AD SUPREMA SEPTEM POPULORUM ET DUCATUS GELRIÆ CONCILIA SAEPIUS REPETITIS VOCATIONIBUS INCLYTIS ET CONSPICUIS;

Literarum ac Literatorum

MÆCENATIBUS OPTIMIS,

ACADEMIÆ GELRO-ZUTPHANICÆ ET GYMNASII NASSOVIO-VELAVICI

CURATORIBUS,

Hunc Hortum Velavicum consecrat

JOHANNES SCHRASSERT.

GELRO-ZUTPHANI PROCERES PATRESque Lycei,
Quîs merito VELAVAE credita Cura Scholae!
Quos amor in Musas ad summa cacumina Pindi
Extulit; & Phoebus Pieridesque colunt.
Flores, quaerenti quos dat mihi Chloris odoros,
Ad Vos devota mente manuque fero.
Est, fateor, levidense nimis, quod confero, donum;
Et non conveniens Floribus ille nitor.
Parcite, quod mea Flora nimis tam prodeat audax,
Fronte micans gemmis splendidiore suis.

For-

Forsitan, auratas hederae mihi serpere frondes,
Mussitat hic alius; vel quid habet simile.
Sit procul hinc vulgus! procul hinc sint atque profani:
Sive sit hic blatero; sive sit ille canis!
Esto relegatus, quem dira Philautia vexet,
Nil rectum, quod non fecerit ipse, putans.
Neve intrent Hortum, vastantes omnia, vulpes:
Non gemmas porcis spargo, rosasve lupis.
Quid morer, heus! ungues, furibunda Calumnia, acutos?
Ipse truces, prae me, rupit Apollo minas.
Ad Vos, Magnifici PROCERES, PATRESque Lycei,
Me, propero, nullo sollicitante metu.
Adspicite placido vultu, pro more, libellum;
Spernite nec duro corde dicantis opus!
Vilia Magnanimi, generoso semine nati,
Non temnunt; placat victima parva Joves:
Nec quantum dederis, sed quanta mente dedisti,
Perpendunt; pretium suppeditante fide.

 Quod

Quod gravitate caret, prorſus ſine pondere, munus,
Fit grave, ſi mentem reſpiciatis, epos.
Accipite Flores ſacrati pectoris, in Vos
Perpetui ſtudii ceu monimenta, mei!
Si Vobis placeant animi libamina noſtri,
Gratior in terris Flos mihi nullus erit.
Rarus honos, ſic Praeſidibus ſe poſſe tueri;
Rarior aſt multo, perplacuiſſe diu:
Propter amicitiam, qua me mactaſtis adusque,
Me decus & duplex gloria vera manet.
Longius ut non ſim, quam par, Vos cauſſa morandi,
Verbo complectar, quid mea Muſa velit:
Scilicet, ut Veſtrae Curae commiſſa Juventus
Verſet, & hos Flores pectore volvat ovans;
Mollibus ex violis nec lurida toxica carpat,
Sed, quae ſint animo dulcia, mella paret.
Veſtro Praeſidio (ſi quid prece poſſe putamur!)
Regia Muſarum, floreat, alma, ferax!

Tol-

Tollat honoratum caput & per secula nomen,
NASSAVAE titulo concelebrata Domus;
Discipulisque frequens, doctis ornata magistris,
Inter vicinas gloria prima Scholas!
Prisca fides, pietas primo revirescat in aevo;
Sitque timor Summi lectio summa DEI!
Et Praeceptorum sua cuivis regula constet,
Ut sibi sit Doctor, Discipulusque sibi:
Quilibet atque suam doctrina & moribus ornet
Spartam, Cirratus, seu Moderator erit!
Sic Patriae remanebit honos, & fama Palæstræ;
Et Coelum niveis adstrepet alitibus.
Grataque Posteritas Vestros cantabit honores
Donec in his oris gramina tondet ovis.
NUMINE DIVINO qui protegit omnia, CHRISTUS,
Protegat in seros Nomina Vestra dies;
Et post sollicitas curas, vigilesque labores,
Hac vita saturis det meliore frui!

STUDIOSÆ JUVENTUTI

S. D. P.

JOHANNES SCHRASSERT.

ECCLESIAST. XII. 3.

Recordare Creatoris tui diebus Juventutis tuae; tantisper dum non adveniunt dies ipsius mali, & pertingunt anni quibus dicas, non est mihi in ipsis delectatio.

AD bene vivendum & moriendum ducere tento
  Vos, Juvenes, patriae pulchra Corona meae.
Offero quos Flores, vestrûm sunt ergo relecti;
  Ad vos ut veniant imperat arctus amor.
Si ferat his animus vitam componere, spes est,
  Ut liceat rectas ire redire vias.
Discite (quod Caput est) in primo flore juventae
  Moribus & studiis corda dicare DEO.
Non spes destituet; pia mens non fallet alumnum:
  Nam DEUS, ut statuit, praemia certa dabit.
Vivite! Quumque meos tellus obduxerit artus,
  Nominis usque mei Vos meminisse juvet!

LE-

LECTORI
S.

Occurrent si qua in nostro male firma libello,
Deleat errores aequa litura meos.

ADmiranti insolitum, & à partibus Jureconsulti, si ita videatur, (quippe qui

Fortia verbosi natus ad arma fori,)

alienum scribendi genus, & argumentum, ut in atrio occurram, exponam tibi, L. B., occasionem & caussam, quae me inopinanter & praeter exspectationem ad hunc meum HORTUM VELAVICUM, diversorum Poëtarum Illustrium Floribus instructum, Juventuti nostrae Studiosae aperiendum induxerint.

Certe, uti cujuslibet alterius, cui sua proximique salus, & Civitatis suae conservatio cordi est, expostulat officium, & res, pristinam servare, &, quantum quidem in se est, ad praesentis seculi usum revocare Majorum nostrorum Simplicitatem: dum

Sortis ab injustae qui turbine liber haberi
Vult; iter antiquae Simplicitatis eat.

Ita, proh dolor! non nullus, cui de meliore luto finxit praecordia Titan, justissima animi commotione, respiciens rara penitus, & ab antiqua illius Simplicitatis via aberrantia, quibus fruimur, tempora, quibusque, refrigerata Christiana charitate, & Majorum plane exulante pietate, abundat iniquitas multorum, atque admodum pauci reperiuntur,

Quos aequus amavit
Jupiter, atque ardens evexit ad aethera Virtus,

exclamare necesse habebit:

At nunc, ô mores! ô tristia tempora! prorsus
Extincta est Pietas.

Dum, si quod res est, dicere fas sit?

Tuta fides toto vix jam reperitur in orbe;
Cunctaque perfidia sunt violata gravi.

In tantum, ut

Quo majora rudes homines mendacia fingunt;
Hoc meliora gravi tempore dona ferant.

Haec volvens animo meo, satius mihi existimavi, vitam quaerere quietam, &, quantum poteram, à publico commercio remotos secessus, ut tempus, quod superesset, eis impenderem negotiis, quibus adproperantem mihi facilem procurarem Senectutem; atque

Dum mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba senecta comas:
Et subeunt anni fragiles, & inertior aetas;
Atque parum firmo me mihi ferre grave est.
Sit mihimet, posito ut possim nunc sine laborum
Vivere, me nullo sollicitante metu.
Quaeque meae semper placuerunt otia menti
Carpere; & in studiis molliter esse meis.

Ad quam animi tranquillitatem obtinendam, statueram mecum, otium, quod daretur, & operam in earum rerum exercitationem insumere, quibus animum, forensibus caussis defatigatum, subinde reficere possem.

Sci-

Scilicet, & dum forte vacat, dum civica cessant
Munera, dum Praetor, dum tria verba silent.

Eundem in finem inter libros Pïeridesque, ut ita nec intellectum seculi mutaret malitia, vel dolus deciperet animum meum, me detinere elegeram;

O studiis placitura meis! ô mille per artes
Otia Pïeriis nostra juvanda modis!
Hic ego tranquillo transmittam tempora cursu,
Dum veniat fatis mitior hora meis!

Utque sic tempus illud, veluti pro lucro reputans, in recolendis, quibus in juventute mea delectabar, studiis, etiam nunc advenienti senectuti dicarem. Eis, nimirum, ipsis, quae, ubi caetera neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum, (secundum *Ciceronem*) adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant: adversis perfugium, ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

His animum mihi Musa levat, patriaeque, meisque,
Qua licet, intentum non sinit esse malis.

Recordans simul illius, non aeternitate minus quam gloria digni, PUBLII SCIPIONIS, qui numquam se minus otiosum, quam cum otiosus, nec minus solum fuisse, quam cum solus esset, profitebatur:

Scilicet, intendens animum, pariterque remittens,
Et gemina curas utilitate levans.
Quid tibi, cum populum fugeres, scenamque, forumque,
Quid tibi, Scipiade, tum quoque mentis erat?
Solus eras, solis captans in montibus umbras,

 Nil

Nil minus in solis creditus esse locis.
Otia fecerunt, ut, quae subiere, subirent
Mollius, in curas sufficerentque novas.
Otia fecerunt, ut res bellique, togaeque,
Tot veteris possent temporis acta legi.

Accedente insuper innata mihi (cujus
Per sexennia jam decem
. . . Sextus insuper
Annum cardo rotat)

cupiditate discendi: quam mihi nec tempus, vel aetatem,

Quum formidatus quondam Senioribus annus
Septenus novies, quem κλιμακτῆρα vetustas
Nuncupat,

& quod excesserit, exemplis atque maximorum Virorum hortamentis, eripuisse nequaquam pudeat, pigeatve.

In primis idcirco mihi libros auctoresque elegi, quorum lectione, ceu colloquio dulcissimo, ac cibo saluberrimo,

Utque salutiferis candidus Anxur aquis,

animus meus sustentaretur:

Lectio, nimirum, esca animi est: quae, si bona, prodest:
Si mala sit, non parva solet dare damna legenti;
Non secus atque malus cibus est damnosus edenti.

Ut vero, prout erat in votis, mentem meam adversus mundi ac praesentis aevi difficultates & molestias confirmarem, facile percepi, omnem otii mei non otiosi rotam circa hunc versari cardinem, quo ut animum prudentia ac pietate cum de-

decorarem, tum armarem, summa ope mihi enitendum atque contendendum foret. Quippe

Quae mens labé caret, soli mens addita recto,
Recta petens, placidae plura quietis habet.

Ad haec ego adcinctus, operamque adgressus, non aegre sentiebam, animum satis validam alimoniam è sola non capessere lectione; dum & inertior aetas memoriae, sicut ante, firmitati haud parum detraheret. Cui incommodo ut subvenirem, ea, quae observatu & memoratu digna interdiu occurrebant, notavi, atque, adversariorum instar, nullo ordine & serie, in chartas dispersi:

Dum chartis nec fata nocent, ac secula prosunt:
Solaque non poterunt haec monumenta mori.

Vel, uti *Sannazarius* de Atramento Scriptorio:

Ferrum putre situ spumanti fervet aceto,
Mandet ut aeternis scripta voluminibus.
Scilicet hoc illud, Vatum volitare per ora:
Hoc est, Pyramides vincere, Nile, tuas.
Infelix fatum: sanies rubiginis ergo
Eripit inviso nomina nostra rogo.

Sat cito (si sat bene?) expertus sum,
Quid labor assiduus valeat; quid mens operosa?

Postquam non adeo longo post tempore ea, quae coacervaveram, notisque passim, & doctissimorum Virorum animadversionibus adornaveram, in tantum excrevissent cumulum, ut in ordinem disposita, & in suas quaeque Classes digesta, non informe aut plane inconcinnum (uti videbatur) *Vitae Christianae Methodum* exhiberent. Haec ita digesta cum quibusdam Amicorum communicavi, qui, u-

bi vidissent ac legissent, statim mihi auctores se praebuere, ut praelo eadem mandarem & in usum popularium (quibus me natum sentiebant) publici juris facerem. Urgentes:

Quis, nisi mentis inops, ipsis jam dives ab indis
Dum redit, advectas in mare mittit opes?
Numquid, Erythraeo quas legit littore conchas,
Rursus Erythraeo littore condit Arabs?
Marmora Lysippus, vivosque imitantia vultus,
Non tulit in caeco signa latere specu.
Nec Venerem, Cous postquam finxisset Apelles,
Passus in obscuro delituisse loco est.
Curarum interea pretium tibi vile tuarum est,
Si te nil aliud, quam labor ipse juvat.

Hisce ut morem gererem, a me impetrare non potui, veritus, ne extra meos terminos divagari ab aliis jure merito possem judicari. Praeterea,

Et si quis quaerat, cur haec proferre moremur?
Tuta juvant: nulli delituisse nocet.
Non duros ungues, morsusque verentur iniquos,
Sub lare privato quae sibi quisque tenet.
Hic mihi sum judex, hic sum mihi lector, & unus
Omnia: nec plausu, si qua merentur, egent.
Hic mea me positis dum pascunt otia curis,
Quid possit voto plenius esse meo?

Interim ex memorata *Methodo* Carmina quaedam, ceu Flores ex variorum Poetarum veluti pratis viridissimis excerptos, congesseram, & in formam minorem, HORTI VELAVICI nomine, redegeram: quae ut in gratiam Juventutis nostrae in lucem proferrem, iidem illi Amici tandem a me impetrarunt. Quin sane

Nec timide nostros ausim vulgare libellos,
Dum tot Amicorum vexet honestus amor.
DI faciant, ne nos paenas cogamur & ambo
Solvere, vos laudis, credulitatis ego!

Et quidni, Lector? Siquidem tota libelli forma non sufficeret, si catalogum referrem Virorum, qui praeter primariam, quam profitebantur, artem, alii alio, simili tamen scribendi genere, & scopo, spartam ornarunt suam; scilicet, ut exemplo ter maximi illius PAULI omnia se lubentissime praestarent omnibus, quo prodesse possent omnibus. Accipite idcirco, quisquis ades Lector, hosce otii mei literati foetus in bonam partem, ut pleniorem ejusdem argumenti, si DEUS vires & vitam tribuat, proferendi mihi calcar detur, & animus.

Nullus autem, opinor, aegre feret, quod in hoc, veluti Vitae Christianae Compendio, bene multa ex Poëtis Ethnicis adduxerim, atque ex institutis infidelium, quos ipsa veritas latuit, erudire Juvenes Christianos sustineam. Dum inter omnes non minuti capitis constet, quam multa praecepta Christianis dignissima exinde cum maximo fructu, & nectarea dulcedine, ad vitam bene instituendam ducendamque, sed & animum curis fatigatum instaurandum, hauriantur: dum

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtae:
Aut simul & jucunda & idonea dicere vitae.

Quid? quod & *Johanni Chrysostomo* Aristophanem in deliciis, atque in manibus adsidue fuisse, a Viris fide dignis, & *Hieronymum*, in mediis Christianarum exercitationum intervallis, ac subcisivis tem-

temporibus, Plautum versâsse, á seipso ad *Eustochium* nobis referatur. Ne dicam, PAULUM Apostolum Epimenidem legisse, uti patet ex relato in *Ep. ad Titum cap.* 1. ejusdem versiculo: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.* Quo & *Plutarchus* quoque usus est in *Lysandro.* Praeterquam quod, sacros Moysis libros Ethnicis auctoribus haud incognitos fuisse, ex totidem veri DEI miraculis à fabulatoribus falsis suis numinibus & heroibus adfictis, satis superque manifestum sit; prout idipsum *Ludov. Desprez in notis ad Horat.*, in usum Delphini editum, *lib.* 2. *od.* 19. *ibi: Te vidit insons Cerberus.* pluribus exemplis illustravit. Cui adjungi meretur *Taubmann.* in sua *Praef. ad Bonarum Litterarum Candidatos*, quam *Publ. Virgil. Maron. Ciri* praemisit; ubi ita incipit: „ Non semel in Schola nostra dicere memini, me „ arbitrari in Sacris litteris paucas historias esse, „ miraculo praesertim aut mysterio insignes, quas „ diabolus, cujus sunt partes intervertendi verita„ tem, non *aemulanter*, ut Tertullianus loquitur, *af„ fectarit* exprimere. Et poterat utriusque discipli„ nae, sacrae juxta & profanae, vel modice pe„ ritus, ex contentione mutua vim magnam ex„ emplorum congerere. Huc usque Vir ille. Et sodes! dicat mihi aliquis (& erit mihi magnus Apollo) unde nisi ex Moyse *Genez.* 2. *vers.* 7. habuerint Ethnici, quod à suo Promotheo hominem è limo terrae formatum finxerint? *Juvenal. lib.* 2. *sat.* 6. *v.* 12.

. . . . . Qui rupto robore nati,
Compositive luto nullos habuere parentes.

Qui-

Quibus addatur, quod ad eundem *Horatium lib.* 2. *sat.* 2. *v.* 199. idem Vir doctissimus notat, totam istam fabulam confictam esse ex historia Jephtae *lib. Judicum cap.* 11. Item ex sacrificio Abrahae. *Genez. cap.* 22. Conferatur *lib.* 1. *sat.* 5. *v.* 99. ubi adumbratum reperitur, quod habetur *lib.* 3. (*a*) *Reg. cap.* 18. de vocato caelitus igne Eliae precibus, quo repente consumta sunt holocaustum, & ligna, & altare lapideum, & superfusa copiose aqua. Agmen Poetarum claudat praelaudatus *Juvenalis lib.* 5. *sat.* 14. *v.* 96. *& seqq.*

Quidam sortiti metuentem sabbatha patrem,
Nil praeter nubes, & coeli lumen adorant.
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit, mox & praeputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moyses.

Quid de Philosophis dicemus? Quid de Socrate *Sapientissimo*? Quid de Platone *Divino*? Quid de *Divino* Aristotele? Quid de Seneca *Pio*? Quorum omnium philosophia sapientia Mosaica ita scatet, ut in ea scintillae Veritatis primaevae, hoc est, Verbi DEI Vivi, & Veri, emicuerint clarissime. Vide, sis, Dissertationem Philosophicam Inauguralem *D. Petri van Eys*, de *Platone Mosaizante*, impressam & publice ventilatam Franekerae *A. D.*

*** 27.

(*a.*) Junioribus admonendum duxi, Editionem Vulgatam habere Quatuor Libros *Regum*, quorum duo priores in nostris Bibliis sunt duo Libri *Samuelis*, & duo posteriores duo sequentes Libri *Regum*.

27. *Junii* 1715. Adde, quod secundum communem chronicam Rex SALOMO, sine dubio omnium Sapientissimus, vixit ante Romam conditam circa 260. ann. Ante Regem Cyrum, sub quo septem Graeciae Sapientes floruerunt, 480. ann. Ante Alexandrum magnum, cujus tempore Socrates, Plato & Aristoteles vixerunt, circa 670. ann. Ac proinde intellectu facile sit, Graecos aliosque veteres Sapientes suam sapientiam ex scriptis Salomonis ad plurimum hausisse, veluti *Eusebius*, *Augustinus* aliique prodiderunt. Quibus non leve veritatis testimonium dat locus 1. *Reg*. 4. *v*. 34. (in nostra editione) *Quamobrem veniebant ex omnibus populis ad audiendam sapientiam Schelomonis, ab omnibus Regibus terrae, qui audierant de sapientia ejus.*

Denique, quantum, cum sapientiae, tum eruditionis, in vitam nostram activam transferendae, tum & jucunditatis, in veterum Fabulis, ceu fidissimis antiquitatis primaevae (exceptis, quae in Sacris Literis habemus) conservatricibus, lateat, quam luculentissime ostendit summus Angliae Cancellarius, & magni Sigilli Custos, *Franciscus Baco de Verulameo* in aureo suo libello *de Sapientia Veterum*.

Id pro coronide ex bona fide & optimae mentis conscientia testatum volui, à me nihilum penitus in hunc libellum ex Zelotypia adductum, & quod de Vitiis adlatum, ad ipsa, non ad personas relatum iri in proposito mihi fuisse. Scilicet,

Hunc servare modum nostrum voluisse libellum,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Cae-

Caeterum, si quis sese alicubi tactum suspicabitur, nudabit ille suam quidem conscientiam; nihilominus tamen ego velim me excusatum ei, quia non propterea adduxi, aut scripsi, ut hujus vel illius vitam reprehenderem; verum id tantum egi, ut ostenderem, quales nempe sint in vita communi: secundum illud Phaedrianum:

Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam,
Huic excusatum me velim nihilominus.
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam & mores hominum ostendere.

Ut vela contraham, verba Ciceronis *pro Lege Manilia c.* 13. mea faciam: Vestra admurmuratio facit, Quirites, (quidni ego, Lectores?) ut agnoscere videamini, qui haec fecerint. Ego autem neminem nomino: quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.

Vive, vale, Lector! & cum
Induxi te ad legendum, sincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

AD

VIRUM AMPLISSIMUM NOBILISSIMUMQUE

D. JOHANNEM SCHRASSERT

J. U. D. Urbi Harderovicenae à Secretis, &c. &c.

HORTUM VELAVICUM

Edentem.

NOn ſatis ergo Tibi Gelrae prodeſſe Themiſtae
Responſisque Tuis Conſiliisque Tuis?
Non ſatis eſt? loquitur tuba quod tua nomina Famae,
Et novus in terris Papinianus ades.
Non ſatis eſt? cupidae legum prodeſſe catervae
Multijugi libro, quem tua cura dedit.
Vis mores etiam fluxae poliiſſe juventae,
Scribere, quae diſcat, quae bibat aure puer.
Scilicet haud aliter poſt geſtos Conſul honores
Praefectus Romae moribus ipſe fuit.
Te quoque, Vir celebrate, foro noſtraeque Senatu
Urbis ad exiguum tempus abeſſe juvat.
Inſtar apis variis e floribus ut catus hortis
Pieridum in placidis aurea mella legas.
Ad tenerum faciunt quae delicioſa palatum,
Dum proſunt gravibus non minus illa Viris.
Haec puer in ludo collecta poëmata diſcat!
Verſibus his primos conſecret ille dies!

GERHARDUS SCHRODER

J. U. D. & Anteceſſor.

EPI-

EPIGRAMMA
AD
VIRUM
NATALIBUS ET SCRIPTIS
NOBILISSIMUM
JOHANNEM SCHRASSERT
Jureconsultum:
Cum HORTUM VELAVICUM ederet.

JANE, mihi caros inter numerande Propinquos;
SCHRASSERIDUM clarae nobilitatis apex!
Quae scribis patriis de moribus, illa celebrat
Ætas nostra, nepos serus & illa leget:
Illa probat Judex, & comprobat illa Senatus:
Vincit ab arbitrio causa, caditve, tuo.
Sume animos, Vir magne, novos, *Hortumque Velavum*
Pande: para famae nobilioris opus.
Caetera dant magni titulum tibi scripta Magistri;
Hortus Christicolae nomen at ille Probi.

G. N. VAN HOLTHE

Dimacharum turmae Ductor.

VIRO CONSULTISSIMO

JOHANNI SCHRASSERT

HORTUM VELAVICUM

edenti.

Oweni imitatio.

Non ego propterea tibi vilius affero carmen,
Nomen versiculis ceu celebrasse velim:
Tale mihi nolim venerabile sumere munus;
Jure quod ingenii divitioris erit.

CArmina lascivi celebrent lasciva Catulli;
Quorum basiolis pagina bina scatet.
Turpibus & turpes placeant Nasonis amores;
Dum furit in medio nuda Corinna die.
Obscoenos aliis linquit tua Musa cachinnos;
Sed movet innocuos, dum juvat usque, jocos.
Hoc opus, hic labor est, haec est laus vera Poëtae,
Ut recreet genium, proficiatque simul.
O! quoties oculis Viridaria vestra pererrem,
Quam blando vultu florea Flora nitet?
DELICIÆ, (*) & croceis exhalans floribus HORTUS,
Ingenii & cultus laeta brabea ferunt.
Ne referam mores vestros, & semina rerum;
Angusta est nostris area trita rotis.
Aut memorem libros, queis Gelrica jura repandis,
Dum reseras patrii ferrea claustra Fori.
Laudibus aeternum resonant pia Rostra, Domusque
Justitiae; Judex, seu reus, actor erit.

Ha-

(*) DELICIÆ ESSENBURGICÆ jamjam lucem visurae.

Hactenus illustras, quid justum; nunc quid honestum;
Atque in utroque vigil ductor & auctor ades.
Hoc est pyramidum tumulis extollere nomen:
Mausolea suis condere clara rogis.
Omnia praetereunt; magnorum scripta Virorum
Extabunt, ullo non peritura die.
Omnia praetereunt; Musarum gloria solum
Vivet in extremum concelebrata decus.
Te geminae genuere AQUILÆ, LEO sustulit: inde
Certatim Pallas vindicat atque Themis;
Candida Pax litem dubiam sopivit: ut ambae
Te teneant Divae, jure & amore pari.

Sic Patruo dulci gratatur pectore toto

HENRICUS JOHANNES SCHRASSERT
JCt.

AVUN

AVUNCULO SUO AESTIMATISSIMO

DOMINO

JOHANNI SCHRASSERT

HORTUM VELAVICUM

in lucem edenti.

SI. DECUS. ET. VIRTUS. FACIANT. DE. MORE. CATONEM.

TU. MERITO. NOBIS. VERUS. ET. IPSE. CATO.

Hoc pietatis ΤΕΚΜΗΡΙΟΝ ſcripſit

ANDREAS ARDESCH
JC. Civit. Arnhem. Secret.

AD

A D

VIRUM INCLYTISSIMUM

D. JOHANNEM SCHRASSERT,

Cum

HORTUM VELAVICUM

in lucem mitteret.

Accipe non dextris, Vir prudens, ſcripta camoenis;
In magnis, Magnis, quem voluiſſe, ſat eſt.

PLaudite! quisquis ames laetam traducere vitam;
Quisquis ames magno corda ſacrare DEO!
Dicito io, tu, quisquis eris! nunc mitte tenebras;
Nunciat, heu! clarum Lucifer ipſe diem.
Quo tibi jam nigrae male ſuada ſilentia noctis,
Dum tibi perpetuo luceat igne focus?
Hic Liber eſt Focus, & tot lumina ſunt ibi Verſus,
Quae luſtrent veſtros nocte dieque lares.
Hic liber eſt Hortus, ſeu pinguis gramine Campus,
Atque ſalutiferis undique dives aquis.
Quem prope GELRORUM Pindus, Delosque VELAVUM,
Palladis & Themidis rite ſacrata Domus.
Quae verum efficiant Hominem, Civemque beatum,
Hîc proſtant; larga mente çieris, ades.
Hîc, quid Chriſticolas deceat, Pietasque requirat;
Relligioque vetet; Sanctio ſancta ferat.
Quas tulerit Leges Romano Caeſar in orbe;
Arroget & gemino ſcribere Papa foro.
Quae Medico vigili ſit congrua cura medendi,
Ne fugiant artem pernicioſa mala.

**** Quan-

Quanta ſit in Coelo rerum diſcordia concors;
Quae ſint & quotquot ſidera fixa Polo.
Hîc, quidquid Grajus ſapiens vel dixerit olim;
Et Latium docta pinxerit usque manu.
Denique, quid decoret Juvenesque, Virosque, Senesque:
Singula quid referam? non numeranda mihi.
Omnia ſummatim complectitur Hortulus unus;
Et fovet in molli Muſa modeſta ſinu.
Quid non? Si Natura, ſimul, quae ſparſit ubique,
Viderit anguſtum ſic habitare locum?
Vidit, &, admirans pariter decus, ingeniumque,
Hic mihi non Hortus, ſed Microcoſmus, ait.
Hic mea Muſa ſilet. Summae compendia ſin haec?
Concipe, quam parvo noſcitur ungue Leo.
Haec eſt votorum ſummarum ſumma meorum:
Hortulus hic vitae norma ſit usque meae!
Vade igitur felix, Liber; & longiſſima vitae
Tempora Florilego det faveatque DEUS!

Haec Matris Fratri ſincero fudit amore

HENRICUS JOHANNES ARDESCH
JCt.

PATRUO SUO VENERANDO

D. JOHANNI SCHRASSERT,

Cum

HORTUM VELAVICUM,

Poetarum floribus instructum, Studiosae Juventuti panderet.

HActenus in patria juris Cynosura fuisti;
  Nunc at Christiadas ducis ad astra manu.
Quam felix patria est! ubi tales NOMOPHYLACES,
  Leges qui sociant moribus ingenuis.
Non qui, quid liceat, sed quid fecisse decebit,
  Observant: qualem te tua Scripta probant.
Doctrina & Studium circumdent tempora lauru;
  Ingenium rectum promovet usque Virum.
Laudant te PROCERES; te dives laudat, egenus;
  Thespiades etiam pinguia thura ferunt:
CHRISTICOLÆ ast sacra contexent fronde Coronam,
  Horti quae *Velavi* pendeat ante fores;
Atrio & aeternum devote EPIGRAMMA locabunt,
  Intranti pacem cum pietate fovens:
QUISQUIS. AMAS. VITAM. PIA. LIMINA. PANDE. BEATAM.
  UT. DISCAS. RECTE. VIVERE. DULCE. MORI.

JOHANNES SCHRASSERT

JCt.

VIRO INCLYTO

JOHANNI SCHRASSERT

JCTO SOLIDISSIMO,

Curiae Harderovicenae à Consiliis & ab actis Vigilantissimo,

Dum

HORTUM VELAVICUM

undique spirantem

ederet.

CLARE TUIS MERITIS, THEMIDOS FACUNDE SACERDOS,
CURIA quem laudat, GELRIA tota colit.
Dum parat EGREGIOS tua cura expromere VERSUS,
Arripit haud tardans nostra Thalia chelyn.
Accipe TU, siquidem jam jam qua mente decebat
Accedo ad Vultus, VIR CELEBRATE, Tuos.
Accipe, quod fudit pietas TIBI debita, carmen,
Sitque piae mentis pignus & arrha meae.
Admiror toties, quoties tua Scripta revolvo,
Queis instar Solis lumen ab axe nites.
Jam TIBI cum primi florebat temporis aetas,
Divini ingenii TU documenta dabas.
Moxque VIRI MAGNI sortito nomina lucem
Spargere doctrinae cura laborque fuit.

Qua

Qua TE laude ferat, referat quae digna tropaea,
GELRIA, TE talem quam genuisse juvat?
Qua TE laude ferat? Juris qui tramite monstras:
Quo DECIMAE Patriae jure favere queant.
FEUDORUM & DOMINI CENSUS, quos cura fatigat,
TU tenebras radiis discutis usque tuis.
CURIA TE SUPREMA legit, TE GELRUS ubique
Consulit, & CODEX lucet ubique Tuus.
A GELRIS dictum, Gelrorum juribus aptum,
Sedulus hoc volvit Juris amator *Opus*.
Dum JUS VELAVIÆ, DIGESTAQUE lumine comples,
Tu Themidos lucem spargis in omne solum.
Quid tua commemorem, quae das CONSULTA fidelis?
Per totum haec orbem Fama sonora canit,
Et NATALE SOLUM, Cives, Gelrique frequenter,
A TE conscriptum, laudibus usque ferunt.
Scilicet Urbs nostra est, ubi *Nereus* litora pulsat,
Gelrica Pallas ubi Sceptra verenda tenet.
Singula quid referam? De RELLIGIONE coortas
Lites jam dudum dexter ab orbe fugas;
Floreat in patriis *pietas ut mascula* terris,
Pura stet in CHRISTUM firma tenaxque fides.
Scommata sic removes, quae Clerus jactat iniquus,
JURIS CONSULTOS dum lacerare cupit.
Clamat enim insulsos Scrutantes intima Juris,
Clamat Sacrilegos, quîs pietatis amor!
Ast bene sic Patriae res, sic bene vertitur orbis,
Cum datur & Juri dignus in orbe locus;
Cum Fasces regit ipsa Themis, Themidosque corona,
Nempe Themis caute, quod facit, omne facit.
Sed, quo Musa ruis? quo te tuus abripit ardor,
Materia hac vires exsuperante tuas?
Non haec ambitio, non fastus jussit inanis
Scribere, Virtutis scribere jussit amor,
Atque amor in varios, VIR CONSULTISSIME, Versus
Offert quos Juveni nunc tua larga manus.
Otia dum culpas mala, justa sed otia laudas,
Quae quoque GYMNASIO commoda mille dabunt.

Colligit atque ut apis fragrantia mella per herbas,
Colligis & multi sic quoque dicta salis;
Frivola nulla tamen, quaeque utile perdere tempus,
Et Juvenum mores commaculare solent.
Quaeris ubique DEUM, quaerenti lumina praefers,
Sive sit ille Puer, sive sit ille Senex.
Depingis mortem, Coelestis gaudia vitae,
Quaeque viam monstras tendit ad astra Poli.
Ut ducant vitam, vitam sed labe carentem,
Litera Pythagorae norma sit atque nota.
Jura Thori, castamque fidem, quaecunque decora
Instillas Juveni; quanta brabea feres?
Sic divi Pauli monitu juvenescere pulcrum,
Sicque etiam Juvenum consuluisse choro.
Ut Sol auricomus radianti luce refulgens
Illustrat terram, major at occiduus:
Fulgida sic itidem praebet tua commoda Musa,
Fortunate SENEX! ingenioque Valens.
Jam multos video Juvenes decerpere flores
VELAVICO ex HORTO, quem tua cura dedit.
Hic redolet casias nardumque & cinnama grata,
Quocunque aspicias, omnia laeta vides.
Quîs igitur spurcos curae est vitare Poëtas,
SCHRASSERI ex HORTO serta decora legat.
Auguror, at cupio: Traducas molliter aevum
In Senio viridis, Justus ut esse solet.
JUSTITIÆ fructus sic amplos ferre memento.
Audiat OMNIPOTENS, vel potiora ferat!

WILHELMUS JACOBUS ALLARDT. V. D. M.

Gymn. Vel. Con-Rector.

PAR-

PARTITIO.

PAR-

PARTITIO.

HOR-

HORTUS VELAVICUS
SIVE
COMPENDIUM VITÆ
POËTICUM.

Scopus vitae nostrae CHRISTUS.

SI scopus est vitae CHRISTUS, fideique, viaeque;
Felix, non fallax est via, vita, fides.

Summa vitae nostrae est, Ipsum imitari.

Flumine quisquis amas puro tibi corda rigata,
Quisquis amas vera relligione DEUM.
Quid tibi cum tenebris? male suada silentia noctis
Pelle: salutifera voce cieris, ades.
IPSE vocat, docet IPSE vias: vestigia pones
Fixa, dato nunquam destituenda die:
Hoc satis in stimulos.

Recta via facit beatum.
Psalm. 1.
Beatus ille, qui viam rectam terit,
Turbamque vitat impiam:
Horretque foedi criminis labem gravem,
Sannamque posticam fugit:
Verum supremi sacra jussa Numinis
Pervolvit imo pectore,
Totusque versat, sive nox diem fuget,
Umbramve nocturnam dies.



SECTIO I.

DE DEO.

CUM SUMMO INCIPIMUS DESINIMUSQUE DEO.

§. I.

Supremum Bonum

DEUS.

MAgne Opifex rerum; ſpes ô & meta tuorum
  Ultima, fons omnis principiumque boni.
Quem tua felicem facient, quem dona beatum,
  Si poſtquam dederis omnia, ſolus abes?
Te peto: tu ſatis es: tu ſolus es omnia, quod nos
  Expleat, ut deſint caetera, ſolus habes.

2.

Cunctarum rerum Auctor & Finis.

Semper erit, ſemperque fuit, nec terminus Illi
Eſſe poteſt: Hic cuncta facit, nec factus ab ullo eſt:
Nil fuit ante Ipſum, poſt Ipſum prorſus erit nil.

3.

Coeli conſtructio probat Auctorem.

Cum tu inter ſcabiem tantam & contagia lucri,
Nil parvum ſapias; & adhuc ſublimia cures:
Quae mare compeſcant cauſae; quid temperet annum;
Stellae ſponte ſua, juſſaene vagentur & errent;
Quid premat obſcurum Lunae, quid proferat orbem;
Quid velit & poſſit rerum concordia diſcors.

4.

SECT. I.

4.
Uti & ordo.

Si quando magnum mirati ſurgere ſolem
Oceano, & toto flammas diffundere coelo;
Certatimque ſuo terras ambire meatu
Noctivagam Phoeben praecinctam cornibus aureis:
Æternosque aſtrorum ignes, coelique micantes
Scintillare oculos: aliquem dare jura putaſtis,
Atque polo regnare, hominum rerumque parentem,
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus aether,
Cuncta ſupercilio qui temperet.

5.
DEUS eſt Spiritus.

Cum Deus eſt animus, nobis ut Carmina (*) dicunt;
Hic tibi praecipue ſit pura mente colendus.
(*) Mallem, *Biblia*.

6.
Ergo Incorporalis.

Corporis eſt expers, qui corpora cuncta creavit:
Ille igitur ſummus Princeps, bonus, omnipotensque,
Æternus, ſapiens, prorſus ſine corpore vivit.

7.
Semper vivit.

Ergo principium primum (ceu diximus) unum eſt,
Ac ſimplex, nec non purum: quod vivere ſi non
Credimus, erramus; quoniam niſi viveret, unde
Eſſet vita aliis, cum vivant cuncta per Ipſum?

8.

Est Unus.

Nil etenim per se aeternum est, nisi Conditor orbis.
Post ipsum aeterna est rerum natura suarum,
Quas Ipse ex nihilo, stabili sub lege creavit,
Ut non esse queant aliter quam jusserat olim,
Quum primum immensi jaceret fundamina mundi.
Esse etiam nunquam duo Perfectissima possunt:
Nam dissentirent forsan, bellumque cierent.
Esto quod semper concordi pace manerent,
Frustra ponuntur duo maxima, sufficit unum,
Quod saltem natura aliis prius esse necesse est.
Si prius est aliis, ergo est quoque causa aliorum:
Namque prius causa efficiens est posteriorum.
Quocirca haud dubie mundum hunc Deus ipse creavit
Ex nihilo.

9.

Triunus.

Laus Tibi, coeli Pater; atque Princeps
Omnium Rector, simul & Creator,
Quem fides veri studiosa Trinum
Credit, & unum.

Ergo Tibi sit gloria
Inseparata Trinitas,
Verbum, Pater & Spiritus,
Qui condidistis omnia.

10.

In Trinitatis mysterium non anxie inquirendum.

Mitte arcana Dei, coelumque inquirere quid sit;
Quum sis mortalis, quae sunt mortalia cura.

11.

Sed ratio succumbat fidei.

At si aliter quondam dixit Deus, & sua Mosi
Facta revelavit, debemus credere Mosi:
Succumbat ratio fidei, & captiva quiescat.
Namque Deus nunquam fallit, nec fallitur Ipse:
Si modo dignatur quicquam mortalibus unquam
Dicere, si cuiquam apparens arcana recludit.

12.

Omniscius.

At licet occultent homines sua crimina mundo;
  Nulla tamen poterunt facta latere Deum.
Judice supremo coram confessio pura
  Optima peccantis sit medicina viri.
Etenim:
- - - - - Qui facit omnia, novit
Omnia, nilque potest ipsum ulla ex parte latere.
Ergo Deus nihil ignorat, scitque omnia quae sunt,
Quaeque fuere olim, & quae mox ventura supersunt;
Quae nisi certa forent, sciri non posse fatendum est:
De certis etenim tantum ipsa scientia habetur.

13.

Justus, cum irascitur.

Hei mihi! quam justas de nobis Numina poenas
Sumunt! nam sceleris quid non committimus? aut quid
Justitiae est usquam? quis amor cultusque Deorum?
Relligio aucupium facta est: coelestia venum
Omnia nunc dantur, violantur sacra profanis
Lenonum manibus; tamen haec spectantque, tacentque
Magnifici Reges: & CHRISTI prorsus honorem
Nil curant: sic nos miseros idola gubernant.

Nam :

Non Deus est auctor culpae, sed criminis ultor:
Pro meritis justis praemia justa dabit.

14.
Semper timendus.

Cum res iratos sit habere gravissima Divos,
Omnibus hos horis conciliare stude.

15.
Lentus ad vindictam.

Tarda quidem vindicta Dei procedit & ira;
Sed cave, terribili cum gravitate venit.

16.
Soli Deo fidendum.

Tutius est, praestatque Deo confidere soli,
Quam se Principibus credere mille viris.

17.
Religionis decus.

Relligio generis decus est, & gloria nostri,
Quae nos conciliat Superis, & jungit olympo.

18.
Pietatis gloria.

Corde ac mente Deum saepe, & saepe ore vocato;
Nam pietate potest tibi nil contingere majus:
Haec ad virtutes alias est janua, quippe
Divino nequeunt prorsus sine numine haberi
Virtutes aliae, & nequeunt vitia ipsa carere.

Sect. I.

19.
In ea sola quies animi.

Quae mens labe caret, soli mens addita recto,
Recta petens, placidae plura quietis habet.

20.
Et ipsa Salus.

Una salus servire Deo est: haec gaudia sola
Vera putes, quorum gloria finis erit.

21.
Fugat omnem timorem.

Psalm. 112.
Quisquis inoffensae traducit tempora vitae,
Atque timet laesisse Deum, supremaque jussa
Mente colit memori, noctesque diesque revolvit,
Is felix jure est animi, fastigiaque alta
Conscendet rerum, & cunctas dominata per oras
Stirps ejus late imperium protendet avitum.
Impavidus stabit, solida nec mente labascet;
Nec tempestates ullae hunc turbare valebunt.
Nulla tegent unquam justorum oblivia nomen:
Sed gliscet sine fine decor, lausque illa manebit.
Non hos dejiciet rumoribus impia turba
Constantes firmosque. Deus tutabitur illos.
Nil metuent unquam, dum figant lumen in hostes,
Nunc fractos subito, nunc in sua damna ruentes.

22.
Et tribuit victoriam.

Victurus, venerare Deum; victoria namque
Ipsius justo pendet ab arbitrio.

Hinc

Hinc *Claudian.*
O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antro
Æolus armatas hyemes, cui militat aether,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

23.
Memento mori quolibet die.

Sole oriente, tui reditus à morte memento:
Sis memor occàsus, sole cadente, tui.

24.
Deus precibus adorandus.

Ergo humilis venerare Deum; favor omnis ab alto
Defluit in terras: nihil est mortalibus aegris.
Utilius, quam coelestem sancteque pieque
Orando sibi quaerere opem, & cognoscere Divos.

25.
Et providet.

O Homo sollicitas quid curas tendis in aevum?
Desine: namque tibi providet ipse Deus.

26.
Quaenam expetenda.

Non ego divitias Arabum, rubrive lapillos
Æquoris insignes cupio, nec quicquid Iberus
Amne Tagus rutilante vehit, populosve superbos
Septrigera domitare manu: non fata dedere
Talia, nec doleo nobis non fata dedisse.
Illa mihi vellem mundi concederet Auctor,
Quae nec habere valent pravi, neque mentis egentes,
Quae verum efficiunt hominem, Divisque propinquum.

27.

27.
Pro adventu Spiritus Sancti orandum.

Spes & amor duo ſunt calcaria fortia, quae nos
Audaces faciunt, contemptoreſque laboris.
Praeterea aſſiduis votis precibusque petendum eſt,
Ut delabi in nos dignetur Spiritus iſte;
Qui cum ſpe ingenti ingentem producit amorem,
Quo mens accenſa aſcendat ſublimis Olympum.

28.
Preces, ejuſdem argumenti.

Atque utinam ſacer ille ſua me Spiritus aura,
Spiritus, aeterno qui temperet omnia motu,
Tollat humo, doceatque Dei ſcrutarier oras,
Inſuetum expediens iter, ad ſpatia ardua coeli,
Thesbites veluti liquidum ſuper aethera vectus
Emicuit, ſtrinxitque rotis ardentibus aſtra,
Coeleſtes quondam auſus equos, currumque volucrem,
Igniferum, ingentem, flammaſque ex axe rotantem
Flectere, & inmiſſis coelum percurrere habenis.
Hoc uno deſiderio, atque cupidine flagrans
Illud ago, ut mens corporea compage relicta
Obſtantes ſuperet nubes, ſeque inſerat aſtris.
- - - - - - - - - - -
Jam paribus ſanctam auſpiciis, perquirere legem,
Secretoſque Dei ſenſus, ſedeſque beatas
Suevimus, & Superûm menſis, & nectare veſci.

29.
Pro ſanctitate animi.

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano,
Fortem poſce animum, mortis terrore carentem:

Qui ſpatium vitae extremum inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoſcunque labores;
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis aerumnas credat, ſaevoſque labores
Et Venere, & cenis, & pluma Sardanapali.

30.
Pro Sapientia.

CHRISTE, fac ut ſapiam: quia Tu Sapientia PATRIS
Solus es, & Tecum qui ſapit, ille ſapit.
Heu! quantae tenebrae, quam vana ſcientia mentem
Vexat; quis veri dulce docebit iter?
Ad Te confugio, qui Lux mortalibus Ipſe es;
Per quem viderunt cuncta creata diem.
Da mihi Divinum lumen, tenebraſque repelle;
Spiritus illuſtret pectora noſtra Tuus!
Non, equidem fateor, tanto ſum dignus honore:
Sum miſer, & multo crimine, CHRISTE, reus.
Sed tamen effuſo confido ſanguine, quo Tu
Peccati ſordes abluis usque meas.
Non mihi quaero lucrum, vanam non arrogo laudem;
Et laus & lucrum Tu mihi ſolus eris.
Illuſtra mentem, coeleſtibus ignibus imple:
Nemo mihi praeter Te tua dona dabit.
Ipſe feram dulces laudum Tibi munera grates:
Nil homo majus enim, quod TIBI reddat, habet.

31.
Pro cenſu mediocri.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquae fons
Et paulum ſylvae ſuper his foret. Auctius atque
DI melius fecere. Bene eſt. Nihil amplius oro.

32.

32.
Non opibus.

Parvum haerediolum, fateor. Sed nulla fuit res
Parva unquam aequanimis: adde etiam unanimis.
Ex animo rem stare aequum puto, non animum ex re.
Cuncta cupit Croesus, Diogenes nihilum.
Spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum?
Aurea non satis est Lydia terra Midae.
Cui nullus finis cupiendi est: nullus habendi:
Ille opibus modus est, quem statuas animo.

33.
Dei auxilium in omnibus expetendum.

Largire ergo mihi, Rex ô dignissime Regum,
Ut te cognoscam, & placeam Tibi: deinde sciam me,
Quid sim, qua in terris causa productus, & unde
Huc veni, ac tandem quo vita functus abibo:
Quid mihi dum vivo sit agendum, sitque cavendum:
Ut quum finierit Lachesis mea fila, diesque
Ultimus abdiderit membra haec exhausta sepulchro,
Mors fiat mihi grata quies, portusque salutis.

Ut et:

Omnipotens Genitor rerum, cui summa potestas,
Exaudi, si justa precor; ne sit mihi tristis
Ulla dies, placidam nox rumpat nulla quietem.
Nec placeant aliena mihi: quin & mea prosint
Supplicibus, nullusque habeat mihi vota nocendi,
Aut habeat nocitura mihi. Male velle facultas
Nulla sit: at bene posse adsit tranquilla potestas.
Mens contenta suo, nec turpi dedita lucro,
Vincat corporeas, casto bene conscia lecto,
Illecebras turpesque jocos, obscoenaque dicta

Oderit illa nocens, & multum grata malignis
Auribus, effuſo ſemper mea lingua veneno.
Non obitu adfligar cujusquam, aut funere creſcam:
Invideam numquam cuiquam, nec mentiar umquam.
Adſit laeta domus, dapibusque adludat inemtis
Verna ſatur, fidusque comes, nitidusque miniſter,
Morigera & conjux, caraque ex conjuge nati.
Moribus haec caſtis tribuit Deus. Hi ſibi mores
Perpetuam ſpondent ventura in ſecula vitam.

34.
Deus fidem ſpectat.

Non bove mactato coeleſtia Numina gaudent;
Sed quae praeſtanda eſt, & ſine teſte, Fide.

35.
Non munera.

O vanas hominum mentes! ô pectora multo
Plena mero! quando coeleſtia Numina avara
Creditis, & pro opibus voces audire precantum.

Et:

Hic facit ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat caeſo non minus agna bove.
Parva petunt Manes. Pietas prae divite grata eſt
Munere.

36.
Gratiae Deo agendae.

Quid vero Tibi pro meritorum gratus acervo
Retribuam, ſupreme Pater, cui debeo cuncta?
Semper honos tuus ore meo, laudesque ſonabunt,
Dum reget hos artus anima, & poſt funera vivet.

SECT. I.

37.
Pro omnibus.

Lucem, qua fruimur, tenuem, qua vescimur, auram;
 Commoda, quîs alimur, cunctaque quîs opus est,
Illa Dei, mundum quae condidit atque gubernat,
 Larga dedit nobis, datque benigna manus.

38.
Laus Deo semper.

Psalm. 117.

Sidereum laudate Deum, laudate per omnem
Dispersae gentes orbem, laudate frequentes.
Laudate, ô populi, & Divinae laudis honores,
Ut decet, ut fas est, sublimia tollite ad astra.
Perstat enim Illius clementia, perstat in aevum,
Nec vanas Ejus promissa feruntur in auras.

Junge *Psalm.* 145.

Magne Parens rerum, stellati Rector olympi,
 Te laudat celsi machina lata Poli.
Te celebrant omnes, qua sol surgitque caditque,
 Et noscunt regni robur & arma Tui.
Majestas sine fine Tibi est, nec tempora quicquam
 Istud in imperium, Rex metuende, valent.

39.
Foecunditas terrae Deo accepta referenda.

Ne spes destituat, sed frugum semper acervos
 Praebeat, & pleno pinguia musta lacu:
Dum veneror, seu stipes habet desertus in agris,
 Seu vetus in trivio florida serta lapis.
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
 Libatum agricolae ponitur ante Deum.

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores.

40.
Diebus feſtis à laboribus gravioribus abſtinendum.

Luce ſacra requieſcat humus! requieſcat arator!
Et grave, ſuſpenſo vomere, ceſſet opus!

41.
Leviora tamen admittuntur.

Quippe etiam feſtis quaedam exercere diebus
Fas & jura ſinunt; rivos deducere nulla
Relligio vetuit; ſegeti praetendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

42.
Eccleſia Dei una.

Inclinare caput docuit ſub legibus îiſdem:
Jus fecit commune pares, & nomine eoſdem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, haud ſecus ac ſi
Cives congenitos concludat moenibus unis
Urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito.

43.
Fundata in primitiva.

Sit licet una fides, licet una Eccleſia vera,
Fontibus è vivis orta perennis aquae:
A prima & pura, quae non ſe Eccleſia ſolam
Derivat, fontem diſſimulatque ſuum?

44.

Echo in CHRISTI Natalem.

Haec Bethlehomitae paſtores, verba referte:
Audita eſt Echo, quae juga montis habet.
Quis natus? dixit *Natus*. Patriſne Judaei?
Illa *Dei*. Verus nonne homo? dixit: *Homo*.
Atque hic idem nonne Deus remanet? *Manet*. Eſt ne
Ut Pater omnipotens? rettulit illa, *Potens*.
Hunc quid de coelis duxit? *Lis duxit*. At iſtam
Dic utrum vincet? *Vincet*, & ipſa refert.
Litis erat radix longaeva? *Eva*. An mala? *Mala*.
Num gula ſic potuit? rettulit haec, *Potuit*.
An puer hic fiet magnus? quae reddidit, *Agnus*.
Ipſe ait hoc? *Ait hoc*. Cur ita clamat? *Amat*.
Is majus noſtro num quid dare poſſit amori?
Reddidit illa nihil quam gemebunda *Mori*.
Hoc faciet? *Faciet*. Moriens? *Oriens*. Deus ille?
Heus ille. Eſt forſan cauſa tua? *Auſa tua*.
Diligere hunc ergo par eſt ſuper omnia Chriſtum?
Iſtum. Nonne Deum? Dixit, *Eum*; & tacuit.

45.

Simulachris nullum numen.

Audis
Juppiter haec, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aëneus? aut cur
In carbone tuo charta pia tura ſoluta
Ponimus, & ſectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? ut video, nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras, ſtatuaſque Vagelli. (*)

(*) Hominis ſtultiſſimi.

46.
Uti nec oraculis.

Sed jam laurigeris cessant oracula Delphis:
Mutaque Cumeae Virginis antra silent.
Nec Pan Maenalia reddit responsa sub umbra:
Nocte licet Pastor viscera libet ovis.
Nec mihi Chaonias spes est audire columbas:
Cornigerumque pudet fata referre Jovem:
Oblitasque loqui jam pridem Graecia quercus
Mirata est posito conticuisse Deo.

47.
Minus autem Poetarum praesagiis.

Omnia sunt laetis operata ex ordine sacris;
Et coelum niveis constrepit alitibus.
Magna parens Juno, centum comitata ministris,
Huc ades, & votis annue, Diva, meis.
Vos quoque per vacuum quae luditis aëra, Nymphae,
Cingite felici nubila summa choro.
Scilicet, eventus sunt haec mendacia vatum,
Haec eadem fictae nuntia laetitiae.

48.
In Hypocritas.

Invenies passim multos, qui pelle sub agni
Vipereum celant virus, moresque luporum,
Et stolidos ficta virtutis imagine fallunt.

49.
In odium Theologicum.

Reges belligerant, faciunt & foedera Reges;
Est aliquid, sera denique pace frui.

Pres-

SECT. I.

Presbyteri certant, atque immortalia nectunt
Jurgia: litigiis non posuere modum:
Unde venenatae levis inclementia linguae,
Et, quam sit calamus saevior ense, patet.

Vel ne rudes putemini,
Et imperiti caudices,
Mox disputatiunculis
Vafrisque quaestiunculis
Lites movetis maximas,
Probrisque vosmet invicem
Atrocibus proscinditis,
Ut pinguis carnis frustulum
Panisque portiunculam
Vestro vorare munere
Catellus erubesceret.





SECT. II.

DE MUNDO.

Quisquis amas Mundum, tibi prospice, quo sit eundum;
Haec via, qua vadis, via pessima, plenaque cladis.

§. I.

Ordo Creationis.

P*Rima* dies Coelos, Terram, Lucemque creavit;
Altera distendit spatium, discrimina Aquarum;
Tertia secernens Undas, dat Gramina campis;
Quarta creat Solem, Lunam, fulgentiaque Astra;
Quinta tulit Pisces, eadem genus omne Volucrum;
Sexta dedit Pecudes, Hominem quoque, quem DEUS ipse
Condidit; hinc operis requies, cum *Septima* fulsit.

2.

Mundus non mundus.

Quisquis amas Mundum, ne Mundum spernito, Mundum
Nec colito, Mundi nil prope Mundus habet.
Attamen & Mundum coluisse in pectore Mundo,
Res est, quae Mundum vincere sola potest.

3.

Coelestia terrenis anteponenda.

O mores reprobos! ô inertia pectora! gemmis
Quae sibi neglectis stercora foeda legunt.
Coelum ad nos spectat, coelum spectemus oportet:
Nam Deus astra dedit coelo, oculosque tibi.

Vix

Vix tibi pars teretis terrae millena videtur:
Coelum dimidia cernere parte licet.
Cur igitur coelo terram, stultissime, praefers?
Ut mos est, matrem plus patre forsan amas.

4.
Transit gloria Mundi.

Nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, praetexta, togae,
Lictor, tribunal, & trecenta insignia,
Quibus tumetis?

Ast,

Post cineres est verus honos; est gloria vera,
Quae datur astrifero in coelo, justisque piisque:
Tunc mites humilesque suo laetantur honore.

5.
Mundus est scena versatilis.

Scena autem Mundus versatilis: Histrio & actor
Quilibet est hominum. Mortales nam prope cuncti
Sunt personati, & falsa sub imagine, vulgi
Perstringunt oculos; ita Diis risumque jocumque
Stultitiis nugisque suis per inania praebent:
Ergo honor & fama, & mortalis gloria, lausque
Somnia sunt.

Nam:

Aspice multiplici labentia sidera flexu,
Cephea, Cassiopenque, & Gnossidis astra coronae,
Et quaecumque sua coelum vertigine torquent,
Non obitum effugiunt, quamvis spatiosa remensis
Orbibus aeterno devolvant secula mundo.

Sic *Owenus*:

Ut Cato in obscoenam scenam, sed ut exeat, intrat:
  Ingreditur mundum sic, abiturus homo.
Nec rediturus in hunc, bene seu male cesserit, orbem;
  Fertur ut in scenam non rediisse Cato.

6.

Ubique forti patria est.

Quaelibet urbs, totusque orbis patria esse videtur
Egregio fortique viro, & bene vivit ubique,
At virtute carens, quamvis amplissima passim
Praedia possideat, quamvis exuberet auro,
Non tamen ire potest quo vult, terrasque per omnes
Currere, diversos hominum perpendere mores,
Diversos spectare locos, & vivere ubique,
Sedibus ille iisdem patriaque moratur eadem:
Semper ubi vinum & segetes sua praedia reddunt,
Utque relegatus metuit transcendere fines.

Vel:

Illa mihi patria est, ubi pascor, non ubi nascor:
  Illa ubi sum notus, non ubi natus eram.
Illa mihi patria est, mihi quae patrimonia praebet:
  Hic, ubicumque habeo quod satis est, habito.

7.

Luna est terminus medius inter bona & mala.

Omne malum est infra Lunam: nox atra, procellae
Terribiles, frigus, calor, importuna senectus,
Pauperies male suada, labor, dolor, improbitasque.
Supra autem Lunam, lucis sunt omnia plena,
Nec non laetitiae & pacis: non tempus & error,
Non mors & senium est illic, nec inutile quicquam.

Felix

SECT. II.

Felix, ô nimium felix, cui ſedibus illis
Tam pulchris, & tam jucundis, tamque beatis
Vivere conceſſum eſt ſupremi munere Regis.

8.

Motus temperat.

Nonne vides, ut Luna ſuis vix ignibus aucta,
Effigies aevi fugientis, ad ultima raptim
Decurrit ſpatia, occultoque intercidit axe?
Scilicet aetherium hoc ſpeculum, haec coeleſtis imago,
Quae maria, ac terras, quae dias luminis oras
Temperat, & crebro propior ciet aëra motu,
Huc atque illuc fluitare levi monet omnia pulſu,
Ceu rerum ſimulacra novis variata figuris,
Nec conſtare diu, nec certa in ſede morari.

9.

Luna multum valet in noſtra corpora.

Ad Lunae motum variant animalia corpus;
Cuncta ſuis pariter cedunt animalia regnis
Lunari ſubjecta globo.





SECT. III.

DE TEMPORE.

HOra repente fugit, properant secedere soles;
  Inque suis vicibus luna repente fugit.
Annus ut hora fugit, fugit irreparabile tempus:
  Nec semel effluxum quis revocare potest.

§. I.

Novi Anni introitus votivus.

Exoritur lux alma, caput Sol detegit aureum,
  Qui toties nostros exhilaravit avos;
Exoritur: redit ecce Anni melioris origo;
  Quisquis ades, sancta concipe voce preces.
Cingantur de more sacris fastigia templis,
  Quae vaga Sebethi Nais ab amne legit.
Ipse sui Janus praepandat limina templi,
  Cui geminum liquido stillet odore caput.
Illius & castas fument pia thura per aras;
  Atque focos supra stet, videatque suos:
Nunciat & tibi, Amice, novos virtutis honores,
  Jam reor haec animum vota fovere tuum:
Nec magis optaris, quas Lydius amnis arenas,
  Quas volvit flavi lympha superba Tagi;
Nec magis uberibus quicquid sibi colligit arvis
  Medus, & assiduo sole perustus Arabs.

Ejusdem argumenti.

Hic quoque temporibus nostris est additus annus,
  Qui venit, & secum prospera verba vehit.

Gra-

Gratia magna tibi, summi Moderator olympi,
Qui cumulas larga munera tanta manu:
Auspiciis cujus tot jam superavimus annos,
Et non infausto tempora lapsa pede:
Auspiciis cujus vitare pericula mille
Fas fuit, & fato candidiore frui.
Quod tribuit coelum, lucro apponamus uterque.
Nec coelum vultus explicuisse vetat:
Blandaque laetitiae nihil obstat prodere signa,
Innocuisque jocis, innocuoque mero.

2.

Anni cursus.

Anne bonis coepte auspiciis, felicia cernis
Consulis Ausonii primordia. Prome coruscum
Sol aeterne caput: solitoque illustrior, almo
Lumine purpureum jubar exere lucis Eoae.
Anne pater rerum, quas Jani mense bifrontis
Volvis in hibernum glaciali fine Decembrem.
Anne veni, & festum veteris novus aspice Jani.
Solemnes pervade vias, bissenaque mundo
Curricula, aequatis varians per tempora signis,
Praecipitem aeterna perfer vertigine cursum:
Sic prono raptate polo, contraria Phoebus
Ut momenta ferat servata parte dierum:
Et novus hiberno reparet sua lumina pulsu.
Menstrua ter decies redeunt dum cornua lunae:
Exortus, obitusque manu volvente, rotabis,
Legitimum Phoebi cohibens per signa meatum.

3.

Anni partes.

\- - - - - Et partes Annus easdem
Semper habet: Siquidem post Ver ferventior Æstas
Extemplo subit; hanc pomis comitatus & uvis

Au-

Autumnus ſequitur; poſt quem ſua frigora ſecum
Ducit Hyems, gelidiſque aquilonibus omnia torpent.

4.
Ver gratum.

Solvitur acris Hyems grata vice Veris & favoni;
 Trahuntque ſiccas machinae carinas:
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni:
 Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna:
 Junctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
 Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
 Aut flore, terrae quem ferunt ſolutae.
Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
 Seu poſcat agnam, ſive malit hoedum.

5.
Laetitia Veris advenientis.

Jam redeunt iterum jucundi tempora Veris,
 Et laeta exornant floribus arva novis.
Jamque ſuas tellus vires frondesque reſumit
 Arbor, & in gravido palmite gemma tumet.
Exultant volucres, & cantibus aethera mulcent,
 Et matutino carmine ſylva ſonat.
Ecce iterum ſtabulis exit pecus omne relictis,
 Ecce iterum campos & nova rura petit.
Paſcuntur late virides armenta per herbas;
 Primaque, clauſa diu, gramina tondet ovis.
O mihi ſi liceat vacuo curiſque ſoluto
 Innocuos laeto ducere rure dies,
Et procul à populi ſtrepitu inſanoque tumultu
 Adſpectu coeli liberiore frui!

Ite-

Iterum:

Felices aurae, quae circum roſcida culta,
Mollibus & cinctae Zephyris, & vere perenni
Æternos alitis flores, & amoena vireta.

6.

Ad calendas Maji.

Majus adeſt, da ſerta puer: ſic ſancta vetuſtas
Inſtituit, priſci ſic docuere Patres.
Junge hederam violis, myrtum ſubtexe liguſtris,
Alba verecundis lilia pinge roſis.
Fundat inexhauſtos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Aſſyrio ſparſa liquore coma.
Grandia fumoſo ſpument cryſtalla Lyaeo:
Et bibat in calices lapſa corona meos.
Poſt obitum non ulla mihi carcheſia ponet
Æacus. Infernis non viret uva jugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra jocis.

7.

Æſtas ſaepe nociva.

Et tamen interdum magno quaeſita labore,
Cum jam per terras frondent, atque omnia florent,
Aut nimiis torret fervoribus Ætherius ſol,
Aut ſubiti veniunt imbres, gelidaeque pruinae.

8.

Autumnus.

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auſter,
Autumnuſque gravis, Libitinae quaeſtus acerbae.

D *Nam:*

Nam:

Quot Themison aegros Autumno occiderit uno?

Ut et:

Ne pereat, jam letifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus (*) aegris
Stridebat deformis hyems, praedamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.
(*) i. e. timentibus. *Virgil.*
Hunc ego si potui tantum *sperare* dolorem.
Ita *spes* pro metu, apud *Lucan. lib.* 5. *v.* 454.
. . . . . Coelo languente fretoque
Naufragii *spes* omnis abit.

9.
Hyems ingrata.

Nunc etiam insuetos testantur rura dolores,
Et desolatis squalescunt pabula campis:
Pro viola mediis horret Paliurus in agris:
Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrso:
Et nulla irriguas pingunt vaccinia ripas:
Et desunt nemori frondes, & gramina pratis.
Fons quoque desiliens praerupti tramite clivi
Contraxit liquidas nunc terrae in viscera venas,
Et desiderio formosae accensus Hyellae
Vix fertur tenui per levia saxa susurro.

Item.

Aspera venit Hyems, insanis horrida nimbis;
Obruta perpetua sub nive terra jacet.
Gratia jam silvis omnis, decus omne recessit,
Ornatuque carent pascua nuda suo.

Non

Non ultra mollesve rosae, vel lilia florent
Ulla, nisi in vultu, candida Phylli, tuo.

10.
Monosticha 4 anni partium per Menses.

Æthereos menses, & tempora quatuor anni,
Quatuor ista tibi subjecta Monosticha dicent:
Martius, Aprilis, Majus sunt tempora Veris.
Julius, Augustus, nec non & Junius, Æstas.
Septembri, Octobri, Autumnus totoque Novembri.
Brumales Janus, Februarius, atque December.

11.
Septem dies Hebdomadae.

Nomina, quae septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetae:
Quos indefessa volvens vertigine Mundus,
Signorum obliqua jubet in statione vagari.
Primum supremumque diem radiatus habet Sol,
Proxima fraternae succedit Luna coronae.
Tertius assequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Illustrant quintam Jovis aurea sidera Zonam.
Sexta salutiferum sequitur Venus alma parentem.
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

12.
Calendarium.

Maius sex nonas, October, Junius, & Mars;
Quatuor at reliqui; tenet Idus quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic esse Calendas,
Quos retro numerans dices de mense sequenti.

13.

Diei partitio.

Aurora.

Hic ubi Puniceo conjux Tithonia curru
Oceano emergit primum, primumque nitescit,
Nocturnas abigens rubicunda luce tenebras.

Item:

- - - Nitor roseo sed fulsit ab ortu
Clarior, & radiis dux praevia matutinis
Oceani procul extremo se litore tollit
Exoriens Aurora, sinusque induta rubentes
Ante diem citat auricomos ad fraena jugales.

Item:

Aureus è roseo fulgebat Lucifer axe,
Et matutina resonabant alite silvae,
Cum nondum orta dies sublustri sidera coelo
Discutit, extremaeque terit confinia noctis.

Musis amica.

Quod tempus studiis severiores
Certatim tribuunt, feruntque amicum?
Est Aurora parans viam Diei,
Nondum cum radiis sequens coruscus
Sol, pastos revehit suos jugales.
Tum nulli impediunt graves calores,
Vexant frigora nec molestiora.
Ergo qui sitiunt sacros liquores,
In fontesque ruunt perenniores,
Auroram studiis colant amicam.

SECT. III

14.
Mane & Vesperi.

Sol jubet exoriens Faunos Dryadasque puellas
Quaerere, & herboso ducere monte choros.
Declivis, vitreas suadet descendere ad undas,
Doridaque, & lusus, ô Galatea, tuos.
Causa patet: quia, sublimes cum tendit in arces,
Nos quoque per saltus, & juga summa rapit.
Cum vero Hesperios petit imae Tethyos amnes,
Exemplo ad fontes nos vocat ipse suo.
Hinc adeo natura hominum loca mane requirit
Ardua, caeruleis Vespere gaudet aquis.

15.
Vesperi.

Sol ubi montium
Mutavit umbras, & juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru,
Damnosa quid non imminuit dies?

Vel:

Et jam summa procul villarum culmina fumant;
Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.

Idem, *Virgil.*

Et sol crescentes decedens duplicat umbras.

16.
Nox.

Jam color unus inest rebus, tenebrisque teguntur
Omnia.

Media.

Desierant latrare canes, urbesque silebant;
Omnia noctis erant placida composta quiete.

17.
Hymnus ex Prudentio.

Ad Galli Cantum.

Ales diei nuntius
Lucem propinquam praecinit:
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat;
Auferte, clamat, lectulos
Ægros, soporos, desides;
Castique, recti, ac sobrii
Vigilate, jam sum proximus.

Hymnus Matutinus.

Nox, & tenebrae, & nubila,
Confusa mundi & turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit discedite,
Caligo terrae scinditur
Percussa solis spiculo;
Rebusque jam color redit,
Vultu nitentis sideris.

Ante Cibum.

O Crucifer bone, lucisator,
Omniparens, pie, Verbigena,
Edite corpore virgineo:
Sed prius in Genitore potens
Astra, solum, mare quam fierent.

Huc

Huc nitido precor intuitu,
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus; & inradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil, Domine,
Nec juvat ore quid adpetere,
Pocula ni prius atque cibos,
Christe, tuus favor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.

Post Cibum.

Pastis visceribus, ciboque sumto;
Quem lex corporis inbecilla poscit,
Laudem lingua Deo Patri rependat.

Ad incensum Lucernae.

Inventor rutili Dux bone luminis
Qui certis vicibus tempora dividis;
Merso sole Chaos ingruit horridum:
Lucem redde tuis, Christe, fidelibus.

Ante Somnum.

Ades Pater supreme,
Quem nemo vidit umquam,
Patrisque sermo Christe,
Et Spiritus benigne.
O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus.
Fluxit labor diei.
Redit & quietis hora,
Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artus.

Et in fine:

Corpus licet fatiſcens
Jaceat recline paullum;
Chriſtum tamen ſub ipſo
Meditabimur ſopore.

18.

Diverſae rerum ſpecies.

Non res, non numeri, non impetus omnibus idem:
Omnibus ex merito laus tamen aequa ſuo eſt.
Paſceris ingeniis, & te non una moratur
Gratia: quiſque ſua, qua valet, arte placet.
Nos quoque, nos tecum non cauſa tangimur unâ,
Cur aliquod dignum laude putemus opus.
Inter tot ſpecies quid non natura decoris,
Cum variis terram floribus ornat, habet?
Hîc eſt aurorae, puri color aëris illic:
Hic pallet: nitet hic: hic rubet: ille viret.
Diſſimiles quamvis, nec ſit decor omnibus unus:
Hic rapit aſt oculos, & rapit ille meos;
Lilia me capiunt albo, vaccinia nigro:
Quo flos me capiat diſcolor alter habet.
Frondibus arrectis placet hic, placet ille repandis;
Et forma, in dubio eſt, haec ſit an illa prior.
- - - - - - - - Non Muſa cothurno,
Non auſa eſt gravibus tangere bella modis;
Non mores, Natura, tuos, & ſemina rerum:
Anguſta eſt noſtris area trita rotis.

19.

Naturae ordo indiſſolubilis.

Hoc igitur pacto ex cauſis contexitur orbis,
(Ut dictum eſt) ſervans aeterno foedere cuncta:


Nec

Nec talem, nisi forte Deus, solvisse catenam
Ulla potest vis, aut series immensa dierum.
Ex his quicquid erit, vel nunc est, vel fuit olim,
Exoritur causis, vires quibus omnibus ipse
Rex superûm, certis metis, & tempore certo
Constituit, certisque modis procedere jussit.

Imitatio Ecclesiastae III. 14.

Novi, quidquid agit DEUS, id sine fine manere;
  Et nihil huic addi posse darique nihil:
Efficere atque ipsum Numen, quod cuncta gubernat,
  Mortali ut sanctus sit timor atque metus.





SECT. IV.

De HOMINE.

Discite vos miseri, & caussas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Qui datus, aut metae, qua molles flexus, & unde.

§. I.

Quid Homo?

Nam quid Homo est? animal certe stultum atque malignum,
Praeque aliis miserum, si se cognoscat ad unguem.
Quis non sponte malus? Vitiorum lubrica & ampla
Est via, qua properant omnes, ultroque feruntur,
Nec prohibere valent monitor, lex, poena, metusve.
Contra virtutis salebrosa, angusta, nimisque
Ardua, qua pauci tendunt, iidemque coacti.

2.

Creatio Adami; & Paradisi descriptio.

Post chaos, ut primum volucres agitabilis aër
  Ceperat, & pisces aequora, terra feras,
Natus homo est; &, si generis primordia nostri
  Quaerimus, è rubra femina duxit humo.
Campus erat; campo, quot habet, Natura colores
  Sparserat: ipsa sibi Ver faciebat humus.
Fons sacer in medio: fonti manantia longe
  Flumina, bis geminis flumina scissa viis.
Ripa viret musco, campus viret: herbidus omni
  Parte color, si non ipsa toberet humus.

Cre-

Creditur hîc concors una jacuisse sub umbra
(Haec pax illius temporis) agna lupo.
Creditur hîc serpens, & nondum letifer hydrus
Nexibus aut morsu nil potuisse suo.
Non hîc herba nocens, non radix ulla legenti
Obfuit: ignotum toxica nomen erant.
Hoc, Adame, tibi datus est natalis in agro:
Inde (quis hoc nescit?) postera turba sumus.
Credite Posteritas, rubrae mortalia glebae
Corpora se debent: ducimus inde genus;
Hoc caput, haec cervix, haec vincta tot artubus ossa,
Hi nervi, glebae massa rubentis erant.
Ille cruor, rubris humor permistus arenis
Olim erat: in venis nunc rubet ille suis.

3.
Nativitas nostra.

Spumoso ex humore coacti more recenter
Caseoli in massam spissans, virtute latente
Fingis (*n. Deus*) & humana specie mentisque capace
Induis, usque fovens, dum maturescat in alvo.
Hinc fractis uteri vinclis, per claustra viarum
Eduxti incolumem, Phoebei in luminis auras.
Ante parans alimenta mihi, quam nascerer, ori
Suavia, ventriculo peramica, accommoda membris
Suctilia, irriguis calide asservata lagenis
Mammarum, semperque labris exposta tenellis.

4.
In diem Natalem.

Ecce mihi totum lux exspectata per annum
Jam redit, Aoniae serta novate Deae.
Haec me vitales genitum produxit in auras,
Jussit & erectum tollere ad astra caput.

Nunc mihi purpureis aram cumulate Hyacinthis:
Cingite & intexta limina noſtra roſa.
Sic etenim coluiſſe decet geniumque, laresque:
Ferte coronato thura, merumque foco.
Talibus auſpiciis geniales ducere coenas:
Theſpiadumque modis concelebrare juvat.

Vel:

Longa gaudia, longae amoenitates
Sint, - - - -, tibi, & tuum ſerenent
Pectus Pieriſin novem ſacratum.
Hoc nunc ex animo vovemus omnes,
Quos amicitiae tibi ligarunt
Sanctae vincula neſciaeque fraudis.
His nunc, Candide, legibus trahemus,
O amice, Scyphos tuae ſaluti,
Quae longos tibi firma ſtet per annos.

Pro reditu diei Natalis.

At tu, Natalis, nullos non fauſte per annos,
Semper honorata luce ſerenus eas.
Quodque opto, innumeras (ſi quid prece poſſe putamur)
Cumaeae vincas vatis olympiadas.

5.
Homo ratione praeditus.

- - - - - - - - - Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, Divinorumque capaces,
Atque exercendis, capiendiſque artibus apti
Senſum à coeleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis Conditor illis

Tan-

Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Adfectus petere auxilium, & praestare juberet.

Item:

Hausimus è coelo mentem; superasque reverti
Ad sedes Christo nitimur inde duce.
Os homini erectum, vultusque ad sidera vergunt,
Unde tulit vitae semina quisque suae.
Jungimus has, sed enim, dum corpora mole supersunt,
Extet ut auctoris mentio grata, domos.
Hîc simul unanimes passi graviora salutis
Sternimus aeternum splendidioris iter.

Item:

Unica gens hominum celsum levat altius cacumen,
Atque levis recto stat corpore, despicitque terras.
Haec, nisi terrenus male desipis, admonet figura,
Qui recto coelum vultu petis exerisque frontem,
In sublime feras animum quoque, ne gravata pessum
Inferior sidat mens corpore levato.

6.

Animus Divinae particeps aurae.

- - - - - - - - Vides ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo Divinae particulam aurae.

7.

Idcirco immortalis.

Nemo igitur bonus & prudens audebit aperte
Dicere mortalem esse animam: . . . .

At gens ferme omnis concordi praedicat ore:
Principio, quicquid ſimile eſt magis Omnipotenti
Cunctorum Domino; diuturnius eſſe fatendum,
Perfectumque magis: nam quod durabile non eſt,
Sed cito delapſum perit, inperfectius eſſe
Quis neget? atque ideo durant coeleſtia ſemper,
Quod Divina magis ſunt & perfecta: ſed iſta
Proxima quae terris, quae coelo amota videntur,
Quum ſint inperfecta, brevi fugiuntque caduntque;
Ergo animus noſter, quum vita & cognitione
Divinae ſimilis naturae appareat, intra
Corporeos fines claudetur? nec magis ipſe
Quam caro durabit, neque vivet longius aevum?
Praeterea corrumpi animus nequit, hac ratione,
Quod ſimplex, & materia ſecluſus ab omni eſt.

8.

Ratio homini pro telo eſt.

Ut quo quisque valet, ſuſpectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit: . . . . .
At ratio eſt homini telo praeſtantior omni.

9.

Cuncta igitur ratione gerenda.

Quum ſis incautus, nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quae non eſt, dicere coecam.

10.

Homo malus, fera peſſima.

Quum tibi proponas animalia cuncta timere;
Unum praecipio tibi, plus hominem eſſe timendum.

11.
Bonus & malus potest esse dives.

Nam bonus atque malus nullo discrimine dives
Esse potest, auroque potens; plerumque videmus
Expertes animi indignos diademate crines
Cingere, Sarranoque ample vestirier ostro.

12.
Liber quis.

Unde advertendum, quod liber solus haberi
Debet, qui recta regitur ratione, nec ullo
Vincitur affectu. - - - -
Recte igitur quidam, liber solus sapiens est,
Dixere: hic etenim solus ratione magistra
Castigat motus animi, sensumque rebellem.

13.
Nemo hoc orbe Beatus.

Nemo etenim felix est, aut fuit, aut erit umquam:
Non si possideat totum ditissimus orbem;
Non si plus sapiat quam toto quivis in orbe.

14.
Omnes peccant.

At scelerum fontes Divinum persequitur jus,
Nec pote vitari; non si genus ab Iove ducant:
Sed capiti ipsorum quique enascuntur ab ipsis
Imminet; inque domo cladem subit altera clades.

15.
Ex lapsu Adami.

Primo parente nata quae fluxit lues,
Mortalium haeret fixa fibris intimis

Negans revelli, discutique nescia.
Hic fundus, unde fertili propagine
Peccata foeda ivere per cunctas domos,
Ut nulla vitae pars ab his sit libera.
Per bruta te circumfer omnia, & nota,
Uti quotannis multa veteris exuant
Pellis senectam, seque muniant nova,
Renoventque pennas, atque permutent pilos.
Homo per omnes sordium raptus modos
Errori inhaeret, moris antiqui tenax,
Malae illecebrae perditus dulcedine.

16.
Facies animi index, & character.

Deprendas animi tormenta latentis in aegro
Corpore, deprendas & gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies.

17.
Saepe fallit.

Non semper ea sunt, quae videntur, decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

18.
Forma fallax.

Non te decipiat fugitivae gratia formae;
Forma brevis flos est, primo spectabilis ortu,
Mox languens fugiente die, dum florida durat
Ætas, dumque cutis tenero fulgescit in ore.

19.
Periculosa.

Quid fidis formae, populat quam morbus & aetas?
Multis causa malis candida forma fuit.

Ægre

Ægre formosam poteris servare puellam,
  Nunc prece, nunc auro forma petita ruit.

20.
Fugax.

Pallentes violae, cum purpureis Narcissis,
  Junctaque puniceis lilia cana rosis;
Quam brevis heu vester decor est! quam gratia formae
  Lubrica! quam parvo tempore tota perit!
Nascimini flores hac luce, hac luce peritis,
  Et fallax oculos ludit imago meos,
Et nimium falsa est vestra & fugitiva voluptas,
  Et nimium rapido praeterit illa pede.

21.
Ejus gratia sensim tabescit.

En virgo, exanimis Virgo, tabescit, & ille,
Ille decor roseo jamjam defloruit ore.
Qualis purpureus secreta in valle hyacinthus,
Quem mater tellus aluit, gremioque receptum
Eduxit largo rore, & felicibus auris,
Si coeli invasit vitium, aut immanior Auster,
Paulatim lento formae spoliatus honore
Deficit, & moriens arentibus incubat herbis.

22.
Ut flos tenuis.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multae optavere puellae;
Idem cum tenui carptus defloruit ungue,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae.

23.
Et pulchra Rosa.

Pulchra brevi durat Rosa tempore, forma brevique
Tempore; sic Formae par Rosa tempus habet.

24.
Forma viros neglecta decet.

Sint procul à nobis Juvenes ut foemina comti:
Fine coli modico forma virilis amat.

25.
Homo longus; sed virtutis expers.

Umbram, non fructum, Platanus dat: sic quoque multos
Vana alios specie ludere saepe placet.

Vel:

Non umbrae corpus: non sunt cerevisia spumae;
Nil sine magnanimo pectore corpus habet.

Similiter:

Personam tragicam forte vulpis viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet.
Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

26.
Debilis corpore non spernendus.

Si tibi praestantes calido sunt pectore vires,
Ne spernas humilem, continuoque premas.
A parvis magnos video superarier usque,
Exiguo & latitat corpore robur enim.

Temp-

Temptus Davides Goliad sic sternit ovantem,
Corporis & molem fallere saepe docet.
Exhorret Gallum Leo sic, stimulumque Camelus,
Et puer invictos sub juga cogit Amor.

27.
Deformis vitandus.

Faciem aspectu deformem possidens,
Mores etiam ejusmodi habes.
Ex malo enim natura malum producit,
Ut ex vipera rursum vipera nascitur.

28.
Haud tamen id perpetuum.

Pendere ad Lanium quidam vidit simium
Inter reliquas merces atque obsonia.
Quaesivit quidnam saperet? tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.
Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo,
Quando & formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

29.
Formosae descriptio.

Si nos Pythagorae non fallunt dogmata, corpus
Intrarunt Pallas, Juno, Venusque tuum.

30.
Formositas saepe fallax.

Forma tibi praestans, oculi cum sidere certant,
Atque habitat toto corpore pulchra Venus.
Sed vitiis animus, mens undique, corpore toto
Atque sinus pleni, mixta venena latent.

Eſt manus ad caedem prompta, ad perjuria lingua,
Lumina, frons meretrix, nec pede tutus ades.
Quam male Mercurius dotes cum Cypride junxit
Ωςε καλȣ̃ μέλαν nil color intus habet.
Ergo, puer, multum ſoli ne fide colori:
Ni probat hunc virtus, quî mihi pulcher erit?

31.
Venuſtatis vis.

Natura cornua addidit
Tauro, ungulas equisque,
Curſu lepus perennis,
Dentes patent Leonis,
Piſces natare juſſit,
Valent aves volatu.
Nil foeminae reſtabat.
Conceſſit at loco horum
Formam, placere poſſit
Qua vincere & ſeveros
Ignes, acuta tela.
Tantum poteſt Venuſtas.

32.
Foeminae ornatu ſuperbiunt.

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extenſis magnos emittit elenchos.

33.
Mulieri non facile credendum.

Crede ratem ventis; animum ne crede puellis:
Namque eſt feminea tutior unda fide.

34.
Ejus fallacia in amore.

Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi: non ſi ſe Juppiter ipſe petat.
Dicit: ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida ſcribere oportet aqua.

Item

Item:

Dicebas quondam, solum te nosse Catullum,
  Lesbia: nec, prae me, velle tenere Jovem.
Dilexi tum te, non tantum ut vulgus amicam;
  Sed pater ut gnatos diligit & generos.
Nunc te cognovi. Quare, etsi impensius uror,
  Multo mi tamen es vilior & levior.
Qui potis est? inquis: quod amantem injuria talis
  Cogat amare magis, sed bene velle minus.

Ut proinde.

Tutius in silvis basiliscum audire frementem,
  Quam molles cantus foemineumque melos.

35.

Dum plorat, fallit.

Conjugis iratae noli tu verba timere:
Nam struit insidias lacrymis, cum foemina plorat.

36.

Infortunati conditio.

Quippe inopem mala multa pati contingit ubique,
Nec sine divitiis fas cuiquam ducere vitam
Felicem. Heu, quam saepe gemit rerum indiga Virtus!
Quam contemtà jacet, si sacra pecunia desit.

Et

Casibus adversis cum te fortuna fatigat,
  Millibus è sociis vix feret unus opem.

37.
Hominum diversae species, & mores.

Mille hominum species, & rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini.
Hic satur, irriguo mavult turgescere somno:
Hic campo indulget, hunc alea decoquit: ille
In Venerem putret: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.

Et

Sensus quemque suus; ratio sua quemque gubernat:
Velle suum cuique est, & sua cuique fides.
Velle suum cuique est; fratrum hinc discordia: ut inter
Fratres conveniat, nil nisi velle deest.

38.
Et diversa studia.

Una hominum ratio est, atque unum, maxime Castri,
Consilium, ut praestent aliis, vivantque beati.
Non tamen hunc finem, quamvis studio appetat omni,
Quisque viâ vitae spatium decurrit eadem.
Hunc vel laudis amor ducit, vel splendor honorum
Ambitionis ad illecebram, & spe divite donat.
Illum auri damnosa fames, & copia rerum
Sollicitat, sibi curarum dum pabula nutrit,
Et quaerit quas condat opes, non conterat usu.
Deliciis multos etiam, & dulcedine sensus
Blanda homini Siren fallit vitiosa voluptas.
Haec stultorum ignava cohors, & nescia recti
In vitia incurrit, vanisque eluditur umbris.
Irrita dum captat vitae simulacra beatae.

39.

Dotesque diversae.

Omnibus haud eadem vario qui praesidet orbi,
Cuncta nec aequali fert, adimitque modo.
Illum divitiis Croesi, minus arte sororum
Ornat, at hic aliud forte decenter habet.
Hic sequitur Musas, alium commendat amoris
Forma, valet Miles viribus ipse suis.
Parce tamen formae, deformis; dives, egeno;
Strenuus, imbelli; doctus ametque rudem.
Quisque suas dotes teneat, nec praeferat ulli,
Quod Deus occulta donat habere vice.
Et nihil aeternos cum sit quod duret in annos,
Objice qui melior deteriora minus.
Omnia praetereunt; Musarum gloria solum
Vivet in extremum concelebrata decus.
Haud ita pyramidum constabit fama, peribunt
Mausolaea prius clara sepulcra situ.
Nil stabile in terris, quod corruet ecce movetur,
Quae sunt principio ducta, vigore cadunt.
Pallados extabunt, magnorum & scripta Virorum,
Interitus nulla his semita structa fuit.
Sed magis alma fides & amor prodesse valebunt,
Gorgoneo semper quae potiora lacu.

40.

Partes corporis humani suos habebant Deos.

Praecipuas nostri partes tribuere vetusti
Diis, quorum ambigua vertitur ordo via.
Linguam Mercurio, cujus facundia pacem
Nunciat, & Divum bella minatur ope.
Splenem Saturno, tetra nam bile senescit,
Tristibus & vitam sustinet ille modis

Ju-

Jupiter aſt hepar proprium depoſcit, amoris
  Namque putabatur fons, & origo novi.
Sanguinis eſt cupidus Mavors in praelia ducens,
  Cor, cerebrum, Phoebi quippe calore vigent.
Sed ſtomachum Lunae, quia debilis, humidiorque;
  Renes & generis membra Cupido fovet.





SECT. V.

De PRINCIPIBUS, NOBILIBUS & MAGISTRATIBUS.

Principibus quisquis studio confidis inerti,
Disce minas sortis, disce timere vices.

§. I.

Dominium eminens.

Quo mihi divitiae? cui servit gloria mundi,
Quem possessor opum cum paupere dives adorat.
Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,
Quicquid in occultis abscondit terra cavernis,
Jure quidem nostrum est, populo concedimus usum.
Rege figuratam Regis patet esse monetam;
Caesaris & Domino sub Caesare fulget imago.

2.

Principes Deo subjecti.

Rex gregibus justas propriis imponit habenas,
Ast Regem Regum Rex regit ipse Deus.
Et:
Reges in ipsos imperium est Jovis
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

3.

Conscientiae dominari tyrannicum.

Ille potest, quaecunque velit . . . .
Non tamen in nostras animas dominatur, habetve

Imperium: quando est animae coelestis origo.
Hanc solam excepit Deus à ditione Tyranni.

4.

Boni Regis officium.

Non satis est Regum titulos, insigne, coronam,
Atque magistratus gerere; ut Respublica firma
Stet, maneant leges, pulchris ac rebus abundet,
Artibus efficitur, quae non vulgaria dicas.
Nempe suos redamet cives, patris induat artus,
Praesentemque statum foveat, nec mutet inique.
Legibus, ut reliqui, propriis ut pareat auctor.
Protegat insontes, vitiosos pellat abusus,
Hostibus occurrat, valeat subjecta tueri,
Unde sit, accipiat: quid enim imperium sine nervis?
Praecipue studeat cultum retinere Deorum,
Inde suis promte, atque aliis tribuisse benigne
Quod decet, atque aequum juris praeferre rigori.
Qui moderantur onus, prudentes, quam sapientes
Sint magis, exemplis dignos testentur honores.
Laus virtutis enim non scire, sed artibus, usu
Et praestare: decus sequitur, sic paxque perennis
Rectorem, ac cives longum servantur in aevum.

5.

Regium est legibus submittere principatum.

- - - - Tunc observantior aequi
Fit populus: nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi.

Publica nimirum res tunc sibi constat, & aequum
Imperium, cum Rex, quod jubet, ipse facit.

6.

Qualis Rex, talis Grex.

Iste igitur Rex talis erat, talesque videbam
Esse suos populos: plerumque est Regis imago

Vulgus

Vulgus, & ad mores accedere Principis optat.
Qualis enim Rex eſt, talis quoque ſubditus illi
Eſſe ſolet populus, ſtudiiſque tenetur eiſdem.
- - - - - - Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita Regentis.

Vel

O quanta exempli generoſo in Principe vis eſt?
Tu vitando vetas, tu faciendo jubes.
Princeps principium motus: Rex regula vitae:
Circumfert coelum ſidera; Rex populum.

Nam

Eſt populi lex viva ſui Rex; Regis ad acta
Legis ut ad normam plebs ſua facta regit.

7.
Regnantis officium in egenos & ſuperbos.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hae tibi erunt artes, paciſque imponere morem:
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Nam

Domat ſuperbos, impioſque proculcat
Sceptrum aequitatis, noxioſque conſumit.

Idem.

Scilicet id Regem decet, ut tueatur egenos;
Atque ſuperborum ſub pede colla premat.

8.
Clementia ſervat Regem.

. . . Quisquis eſt placide potens,
Dominusque vitae, ſervat innocuas manus,

Et incruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit: longa permensus diu
Felicis aevi spatia, vel coelum
Vel laeta felix nemoris Elysii loca.

Sit piger ad poenas Princeps, ad praemia velox:
Quique dolet quoties cogitur esse ferox.

Nam

Pernicies furor est regni, Clementia custos:
Crudelem Dominum tristia fata manent.

Hinc

Violenta imperia nemo continuit diu:
Moderata durant.

9.

Principum vita raro tranquilla.

O quantos Regum patiuntur corda tumultus!
Quamque procellosis motibus ipsa fremunt!
Inter regales epulas, variosque paratus
Tabescunt curis, sollicitoque metu.
Non paucos metuit, multis metuenda Potestas,
Vixque alicui credit, dum cavet insidias.
Mille satellitibus cinctus, telisque suorum;
Non valet à trepido pellere corde metum:
Dum jacet in plumis serico contextus & ostro
Mordetur curis, invigilatque dolis.
Non dat securos nec ebur nec purpura somnos,
Paupertas vili stramine tuta jacet.

Nam

Ut alta ventos semper excipiunt juga:
Rupemque saxis, vasta dirimentem freta,

Quam-

Quamvis quiete verberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa Fortunae subjacent.

Et

Saepius ut summi feriuntur fulmine montes:
  Ut magnam pinum saepe procella movet:
Ut graviore cadit lapsu celsissima turris;
  Sic qui sublimi fronte superbit homo.

Inde

O dilectores Mundi, falsique Potentes!
  Et quid terrenas esse putatis opes?
Quid quoque mundanos, quos affectatis honores?
  Quorum perpetua est sollicitudo comes.

10.
Ergo privatorum status praevalet.

Stet quicunque volet potens
Aulae culmine lubrico,
Me dulcis saturet Quies!
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio;
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar Senex.

11.
Et aulae vitandae.

Proinde quisquis gloria
Abhorret, & mendaciis;
Quem nuda tantum veritas
Oblectat, atque comitas,
Non intret aulas Principum.

Et

Qui potes esse domi securior, atria Regum
Sperne, ferox Regum fulmen ab arce cadit.

Hinc

Vita nihil praeter dubios habet aulica casus,
Hanc fugias quisquis tutior esse voles.

Dum

Istud adhuc hodie multis scelus extat in aulis,
Trudat ut hic illum de statione sua.
Candidus ingenuae vir simplicitatis amator,
Aulas ille diu non habitare solet.
Fortunatus is est potius, qui degere vitam
Servitiis Regum tristibus absque potest.

Inde

Nimirum, possis cum liber vivere parvo,
Quaerere servitio majoris praemia census?
Ac libertatem, sine qua laudabile nil est,
Vendere, & imperium Domini tolerare superbi.
Degeneres animi Procerum, quid quaeritis aulas;
Dedecus ut vobis, illis tribuatis honorem?
Vae vobis, qui ceu pecudes pastoris egetis
Tam viles, ut non valeatis vivere per vos.

12.
Antiqua stirpe natum, bona dos est.

Tu (*Deus*) mihi non imae plebis de sanguine nasci,
Sed patre, avo, proavoque antiqua stirpe creatis;
Et bene de patria meritis prodire dedisti.

13.
In eo solo laus non ponenda.

\- - - - Perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus est in origine sola.

14.
Nobilitatis indicium.

Quisquis honorifico te jactas stemmate natum,
Fac maneas verae nobilitatis amans.

Et

Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium rectae nobilitatis erant.

15.
Verae Nobilitatis periphrasis.

Disce prius frenare animum, compescere caecos
Affectus, ratione uti, vitare nefanda,
Justa sequi: te nosce prius, durosque labores
Amplecti ne te pigeat, vilemque fugato
Desidiam, ut possis culmen Virtutis adire.
Tunc jure ac merito diceris Nobilis: haec est
Haec est Nobilitas vera: haec sunt illa Deorum
Munera.

16.
Virtus sola atque unica Nobilitas.

Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, Nobilitas sola est, atque unica Virtus.
Paullus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Praecedant ipsas illi te Consule virgas:
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi

Justi-

Justitiaeque tenax factis, dictisque mereris:
Agnosco Procerem.

17.

Magistratus.

Tu civem Patremque geras, tunc consule cunctis,
Non tibi, nec tua te moveant, sed publica damna.

18.

Principibus placuisse Viris non ultima laus; majus tamen placere DEO.

Magna quidem merces, decus est, & gloria rectè
Principibus studiis posse placere bonis:
Sed tamen est majus Regi parere Supremo,
Praemia dat nullo qui eripienda modo.
Hunc sequitor laetus, vitam si reddere olympo,
Atque subire novus tecta beata voles.
Nempe illic certos grati carpemus honores:
Hic favor externis anteferendus erit.
Hoc floret justo nam tramite gloria, numquam
In licet adversis quae peritura venit.

19.

Populus honores saepe dat indignis.

. . . Persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos saepe viros nullis majoribus ortos
Et vixisse probos, amplis & honoribus auctos:
Contra Laevinum Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse, notante
Judice, quem nosti, populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis, & famae servit ineptus:
Qui stupet in titulis & imaginibus.

20.

20.
Virtus vera causa Honorum.

Haec tamen innumeris per se quaesita tropaeis
Non generis dono, non ambitione potitus.
Digna legi Virtus. Ultro se purpura supplex
Obtulit.

Nam:
Gloria, si fugias, crocodili more sequetur:
Si profugam sequeris, longius acta fugit.

21.
Officium regnantis.

Exspectata diu tandem Provincia cum te
Rectorem accipiet, pone irae frena, modumque,
Pone & avaritiae: miserere inopum sociorum:
Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis.
Respice quid moneant leges, quid Curia mandet,
Praemia quanta bonos maneant, quam fulmine justo
Et Capito & Numitor ruerint damnante Senatu.

Ut &:

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem,
Integer, ambiguae si quando citabere testis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere caussas.

22.
Honores dant curas.

Arduus assiduo non est honor absque labore:
Magnus honor magno pondere portat onus.

Non enim gazae, neque Consularis
Summovet Lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
  Tecta volanteis,
Sed auget, cumulat.
Scandit aeratas vitiosa naveis
Cura.

23.
Vita privata securior.

Scilicet, e summo quasi fulmen dejicit ictos
Invidia interdum contemtim in tartara terra:
Ut satius multo jam sit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, & sceptra tenere.

Nam:

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsae graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
  Fulmina montes.

24.
Ergo honores non optandi.

Omnia praecipitem formidant ardua casum,
  Et magnis semper vis aliena nocet.
Saepius alta ruit ventorum flatibus arbor;
  Tuta humilis myrtus, tuta myrica manet.
Aërias Alpes nivibus candescere scimus,
  Frigoribusque premi, perpetuoque gelu:
Illic & rabies ventorum plurima saevit;
  Temperiem gratam proxima vallis habet.
Sic vobis numquam desunt adversa, Potentes,
  Aut est pax vobis ulla, nec ulla quies.

Er-

Ergo time, quisquis celsos conscendis Honores,
Teque ruinoso stare memento loco.

- - - - O fragilis damnosa superbia sceptri,
Et mundi lethalis honos! Heu tristia regni
Munera quae numquam placidam permittere pacem
Nec requiem conferre queant: heu sortis acerbae
Et miserae regale decus, magnoque timori
Suppositos Regum casus, pacique negatos.

25.
Sed ambitio fugienda.

Est unum hoc nobis omni ratione modoque
Optandum, & conandum acri assiduoque labore:
Ut simus primum, deinde ut videamur honore
Digni: tum nobis postremaque & ultima cura,
Quod nunc est hominum primum plerisque, sed aegris,
Ipse Honor.





SECT. VI.

De JUDICIIS.

Statuae Justitiae Epigramma.

QUi primus tenerae me pinxit imagine Nymphae,
  Hunc nullo ingenio & mente fuisse putas?
Vidit hic, innocuam & vitio debere vacantem
  Justitiam intactae virginis esse modo.
Nec frustra fecit vultum me ferre severum;
  Et tacito moestas mittere ab ore minas:
Quam nulla objecto labefactet munere dextra,
  Et spoliet sanctae flore pudicitiae.
Scilicet in reprobos venia est mea nulla, nec ullis
  Blanditiis moveor flexa rigore meo.
Dona, preces, blandae voces, sunt pondere nullo:
  Æterna observo jusque piumque mora.
Intendo radiis constantia lumina acutis:
  Obtutu metuat gens malefida meo.
Et merito nudo manus est armata mucrone:
  Et sonat aequali pendula libra jugo.
Ensis praesidium mihi fert, poenamque nocenti:
  Sed vitia & laudes exigo lance pari.
Pone pedes medio Pelecanum est cernere nido,
  Pro vita sobolis corda ferire sua;
Discite ab exemplo hoc, qui rerum frena tenetis,
  Pro me nec vitae parcere, proque grege.
Hac me sub dio qui composuere columnâ,
  An sinerent animis ponere lecta suis!

Alia.

Alia.

Quae Dea? Justitia. Et cur torvo lumine? Flecti
Nescia sum lacrimis, nec prece, nec pretio.
Quod genus? a Superis. Genitor quis? Jupiter. Ex qua
Matre? Fide. Nutrix quae tua? Pauperies.
Quis gremio infantem fovit? Prudentia. Quonam
Freta duce agnoscis crimina? Judicio.
Cur gladium tua dextra gerit; cur laeva bilancem?
Ponderat haec causas: percutit illa reos.
Quid rari adsistunt? Quod copia rara bonorum est.
Quae Comes assidua est? Candida Simplicitas.
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?
Haec surda injustis: panditur illa bonis.
Paupere cur semper cultu? Justissimus esse
Qui cupit, exiguas semper habebit opes.

§. I.

Justitia Deo prognata.

Justitia Virgo est Jove prognata,
Casta, veneranda Diis coelicolis.
Et quando quis ipsam laeserit, oblique injuriam inferens,
Statim apud Jovem sedens,
Injustam narrat hominum mentem donec luat
Populus peccata Regum, qui male sentientes
Alio flectunt jura, oblique interpretantes.

2.

Domus Justitiae Inscriptio.

Haec Domus odit, amat, punit, conservat, honorat,
Nequitiem, pacem, crimina, jura, probos.

3.

Ubi nulla Justitia, ibi nullus pudor.

Paullatim deinde ad Superos Astraea recessit,
Hac comite, atque duae pariter fugere Sorores. (*a*)

(*a*) Nempe: Justitia & Pudicitia. Uti apud *Hesiod.*
Victa jacet Pietas, & Virgo caede madentes
Ultima Coelestum terras Astraea reliquit.

Et *Seneca:*

Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
Et quae redire, cum perit, nescit pudor.

4.

Et concidit Respublica.

- - - - - Ubi non est Pudor,
Nec cura Juris, Sanctitas, Pietas, Fides,
Instabile regnum est.

5.

Judicis periphrasis.

- - - - - - Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat,
Quo multae magnaeque secantur judice lites.

6.

Ejus officium.

Clausa sit una auris, sit Judicis altera aperta;
Haec pateat justis, clausa sit illa malis.

7.

Et integritas.

Exuat affectus, & amicum ponat, & hostem,
Qui rite officium legis obire volet.

8.

8.
Gratia raro peccat.

Asperitas semper peccat, sed gratia raro;
Hic jus est, ubi qui jus moderatur erit.
Sit tardus vindex, vindicta foemina gaudet;
Mascula mens velox ad benefacta magis.

9.
Ab ira abstineat Judex.

Qui temere & praeceps rabidas exarsit in iras,
Excedet semper limina justitiae.

10.
Et à muneribus.

Quid non argento, quid non corrumpitur auro?
Qui majora dabit munera victor erit.

Nam
Quid facient leges, ubi sacra pecunia regnat,
Atque ubi pauperies vincere nulla potest?

11.
Praecipitantia est Noverca Justitiae; uti & tarda morositas.

Judicium praeceps insani Judicis index;
Omnia nec longis discutienda moris.

12.
Peccatum aestimatur ex persona.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur,

Terent.
Huic licet impune facere: illi non licet.
Non quod dissimilis res sit; sed quod qui facit.

Hinc

Hinc *Proverb. Idem non est idem.*
Atticus eximie si cenat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens.

13.

Uti nec duo si loquuntur aut scribunt idem.

Non eadem vis est sermonis ab ore profecti
Et boni, & impuri, magne Poëta, viri.
Nempe movet gravitas, rebusque probata gerendis,
In quorum numero tu quoque clara fides.
Quin etiam morum consensus, & inscia rerum
Illa docet potius caussa, vel illa sequi.
Non ego sum expertus nuper, dum Barbus amata
Consuluit, sed idem te repetente placet.
Conciliant quaedam sic conspirantia fata,
Et stat consensu fortius omne. Vale.

14.

Leges aranearum telae similes.

Vincuntur nummis leges, magnoque favore:
Placantur donis Reges, & voce precantum:
Damnant Jura illos, quibus aut exhausta crumena,
Aut nullus favor est, alii quocumque premantur
Judicio; insontes abeunt, ut parvula musca
In tenui tela, quam pendens texit Arachne,
Volvitur ac remanet: si grandior horridiorque
Impulerit; frangit casses & tuta recedit.

15.

Non omne, quod licet, honestum.

\- - - - - - Sed comprime motus:
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat: mentemque domet respectus honesti.

16.

Justi periphrasis.

\- - - - - Amplectere deinde
Justitiam, & per te nulli umquam injuria fiat.
Sed verbis aliisve modis fuge laedere quemquam.
Quodque tibi nolles, aliis fecisse caveto:
Quodque tibi velles, aliis praestare studeto.
Haec est naturae lex optima, quam nisi ad unguem
Servabis, non ipse Deo (mihi crede) placebis,
Postque obitum infelix non aurea sidera adibis.

17.

Justus nil metuit.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida; neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriae:
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis;
Inpavidum ferient ruinae.

Nam:

Conscia sic munit Virtus, & labe remota
Conditio superis grata, virensque diu est;
Haud voces hominum metuit, non ignea tela,
Qui niveo mentem cinxit amore suam.
Non hanc Eumenidum furor, aut agitabit inique
Tristis, & insonti non adeunda domus.
Candidus hoc etiam, senio confectus inerti,
Nos monet, & presso gutture cantat olor.

18.

Mens recta verum tribuit gaudium.

Gaudia vera dabit mens omnis criminis expers;
Hei mihi! quam pauci gaudia vera ferent.

19.

Mala semper pavet.

Conscia mens recti nullo commota pavore est:
Ut mala mens semper sollicitata pavet.

20.

Conscientiae malae periphrasis.

Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.

21.

Malae conscientiae tormenta.

- - - - - Cur tamen hos tu
Evasisse putes: quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere caedit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Poena autem vehemens, ac multo saevior illis,
Quas & Caeditius gravis invenit, & Rhadamantus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

22.

Bonae & malae conscientiae effectus contrarii.

Mille hominum testes fuerint mens conscia facti,
Sive hoc opprobrium, sive sequatur honos.
Securos animi sibi mens bene conscia reddit:
Vive bene, & nullo tempore tristis eris.

Con-

Conſcia mens ſceleris toties ſibi pectus adurit:
Culpa oculos quoties ſtrinxerit ipſa ſuos.
Incertos animi ſibi mens male conſcia pungit:
Perpetuo triſtis, qui male vivit, erit.

23.
Judicium perverſum.

Judice ſaepe nocens abſolvitur auctor iniquo,
Mortis & innocuus fata dolenda ſubit.

Owen.

Si Judex tibi ſurdus erit, deſertus abibis,
Et fruſtra, amiſſa lite, diſertus eris:
Judicibus plus quam juri ſtuduiſſe juvabit;
Hos tibi, quam leges, conciliato prius.

Ferendum tamen.

Eſto animo forti, quum ſis damnatus inique:
Nemo diu gaudet, qui judice vincit iniquo.

24.
Abſentis accuſatio.

Scilicet, ille parum valet accuſator, iniquis
Abſentem dictis rodere quisquis amat.

25.
Inauditus non condemnandus.

Ne temere abſolvas, nec quemquam crimine damnes,
Alterius cauſſam nî prius audieris.

Nam ſecundum *Senec.*

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera;
Æquum licet ſtatuerit, haud aequus fuit.

26.

Nec sine probatione.

Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi,
Nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.

27.

Perito standum in sua arte.

Fidem meretur integram,
Peritus arte qualibet,
Quicumque callet strenuo
Virum tuerier suum.
Sic Bartolus de juribus,
Hippocrates de pharmacis,
Sic Musicus de musica,
Et Vinitor de vinea,
Pistorque de siligine
Dijudicabit optime.

28.

Ignorare patrias leges, turpe.

En patrias leges! turpe est, licet omnia nôris,
Si nescis patriae jura recepta tuae.

29.

Causam suam diserte agere.

Ac, velut Orator sermone potentior esset,
Ipse suam caussam tam sapienter agit.

30.

In Advocatum ineptum & umbraticum.

Non de vi, neque caede, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abesse furto.
Hoc sibi judex postulat probari:

Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque Mutiosque
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic, Poſtume, de tribus Capellis.

31.
In ventoſum.

Exaltas in lite tuam, Germanice, vocem;
Ut furias mentis vox furioſa ſonet.

32.
In Rabulas forenſes.

Tu quisquis es, notabilem
Attende ſemper regulam:
Vita forenſes Vultures.
Hi voce ſunt qui literas,
Sigilla lingua perforant.

33.
Ad Calumniatores.

Quid mihi feciſti furioſa Calumnia, nomen
Quae toties laedis dilaceraſque meum?
Irrita tentarunt vanae ſine viribus irae;
Ipſe tuas vindex fregit Apollo minas.
I procul execranda, tuo crucianda dolore
Semper, & in poenas vivere perge tuas.

34.
Illorum juſta poena.

Vix turpius calumnia,
Detractione tetrius,
In orbe crimen noſcitur:
Vix uſitatius tamen

Crimen, scelusque notius,
Quod perpetretur saepius.
De cordis illud intimis
Exposcerem recessibus,
Ut, qui student calumniis,
Ab arbore ambo pendeant,
Qui gestat, ore pensilis,
Qui captat, aure nexilis.
Quamvis enim mendacia
Curanda non sint anxie,
Vetus tamen dicterium est,
Quod ore semper gestitat
Calumniatrix turbula,
Locumque saepe repperit:
Calumniare strenue.
Si non nocebunt omnia,
Saltem nocebunt pleraque.

35.

Perversae Justitiae inscriptio, superiori contraria.

Quae tu? Justitia. Et cur blando lumine? flector
Protinus ante omnes, non prece, sed pretio.
Quod genus? à terris. Quo patre? dolo. Unde creata?
Ex spe. Quae nutrix? aurea materies.
Quis gremio infantem te fovit? opinio famae.
Quo modo cognoscis crimina? muneribus.
Cur dextrâ gladium gestas, lancemque sinistrâ?
Haec peragit causam divitis; illa inopis.
Quid multi adsistunt? citat hic, tenet hic, ligat alter.
Quae Comes? argenti candida Simplicitas.
Altera clausa tibi cur auris, & altera aperta est?
Haec patet injustis: clauditur illa bonis.
Divite cur habitu? semper manus adgregat aurum:
Si nequit, unde velit: surrupit, unde potest.



SECT. VII.

DE VITA IN GENERE.

NOnne Hominum vitam tenui pendere capillo,
Nonne perire brevi mortalia cuncta videtis,
Ac veluti fumus, tenues vanescere in auras?

§. I.

Fugitiva.

- - Festinans etenim decurrere velox
Flosculus angustae, miseraeque brevissima vitae
Portio: dum bibimus, dum serta unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Et:

Quid dignitates quaeritamus aut opes?
Est vita flos, est ventus, est prorsus nihil.

2.
Ætatis gradus.

Infans, inde Puerque, Adolescens, post Juvenis Vir;
Dicitur inde Senex: postea Decrepitus.

3.
Gradus cujusque proprietates.

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturae dandus & annis.

Multa

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles;
Semper in adjunctis, aevoque morabitur aptis.

4.
Tempestive cavendum cuique gradui.

Dum tibi sunt vires, Juvenili pectore disce,
Teque operi gnavus nocte dieque para.
Quod semel elapsum est, numquam revocatur in ortus,
Tempus: id exigimus more fluentis aquae.
Ni tibi sint messes aestivae, frigora laedent:
Ni studeas Juvenis, pauca senecta feret.
Ostrea sic noctu pascuntur, pinguia Phoebe
Et fiunt plena, temporibusque cavent.
Nudus ara, sere nudus, hyems ignava colono,
Formicisque minus dedecus est sapere.

5.
Quaenam vita sit Constans.

In vita nihil est diu fuisse,
Curas namque vides laboriosas.
Cautus perpetuis studeto rebus,
Mittas quae rapida feruntur aura.
Constans nil, nisi credidisse summo
Qui firmus residet Parenti olympo.
Ne spes fixa sit in levi columna,
Sed quae sustineat domum, trabesque.

6.
Intra naturae fines vivendum.

Parvo contenti qui vivunt, sat bene vivunt,
In quorum mensa fercula pauca nitent.

Nec

Nec quos sollicitus timor aut furiosa cupido
Nummorum facili suscitat à requie.

7.

Parvo vivitur bene.

Vivitur parvò bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

8.

Et humilis vita praestat.

O nimis felix, nimis ô beatus,
Qui casa vili didicit latere,
Et nihil sperans, metuensve, vanos
Spernit honores!

9.

Primi mortales in agris beati vivebant.

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;
Hanc Remus & frater: sic fortis Etruria crevit:
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.

Juvenal.

\- - - - Panem quaeramus aratro
Qui satis est mensis: laudant hoc Numina ruris,
Quorum ope, & auxilio, gratae post munus aristae,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.

10.

Agriculturae laus.

Foenerat ô quantùm tellus bene culta! colonus
Sedulus ac prudens non multis rebus egebit.

11.
Vitae rusticae laudes.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni foenere;
Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare:
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

12.
Felicitas.

O Fortunatos nimium, sua si bona nôrint,
Agricolas! Quîs ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

13.
Dulcedo.

Hic tibi florentes, Dulci, terra explicat herbas,
Blanditurque levi murmure rivus aquae.
Te Zephyri invitant, & suavis spiritus aurae,
Et silva argutis obstrepit alitibus.

Et desiderium.

Me vero gelida lucus si protegat umbra,
Rura colam, votis rura petita meis.
Illic formosae vaccinia prima Neaerae
Et violas pictis ipse feram calathis.
Illic sectatus volucres ad retia cervos,
Arenti liquidos ore bibam latices.
Aut dulces plena decerpam ex arbore foetus,
Aut pascam niveum laeta per arva gregem.

SECT. VII.

DI facite, extremo decorent me rura ſepulcro,
Spargat ubi rutilas moeſta Neaera roſas.
Et triſtes demiſſa genas, demiſſa capillum
Inſcribat tumulo jam moritura meo:
Huic ſemper nemora, huic placuerunt mollia ſemper
Gramina, qui viridi nunc quoque gaudet humo.

14.

Luſciniae cantus.

Ingens (Velaviae) nemorum, Philomela, voluptas,
O Decus, ô campis gloria multa tuis!
Regina alituum, quae cantibus aethera mulces,
Dulciſona ſolers voce movere Deos;
Te fluvii attendunt, reſonat te in vallibus Echo
Et leni geſtit murmure laetus ager.
Te, Philomela, levi modulantem gutture cantus
Excipit expanſis arbor amica comis.
Tu quoque cum poſſis varios lenire dolores,
Attenuas curas diminuiſque meas.
Ite procul, curae mordaces, ite labores;
Haec eſt vulneribus grata medela meis.
Haec me laetificat, caros recreatque ſodales,
O labor, ô curae, vos procul aura ferat.

15.

Echo.

Vane, quid affectas faciem mihi ponere pictor,
Ignotamque oculis ſollicitare deam?
Aëris & linguae ſum filia. Mater inanis
Judicii, vocem quae ſine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata ſequor verba aliena meis.
Auribus in veſtris habito penetralibus Echo:
Et ſi vis ſimilem pingere, pinge Sonum.

16.
Exercitium rurale.

Aut leporem cane ſectari, aut impellere damas
In laqueos, cervumque ſuis avertere ſilvis,
Aut viſco, aut calamis, & fictae carmine vocis
Fallere avem, aut tremulos captare in flumine piſces,
Aut comitum curſu, aut fluvium ſuperare natatu,
Aut torquere manu jaculum, aut contendere ſaltu,
Fortaſſe & mihi tum licuit per roſcida culta
Pieridum ſacros ſitienti exquirere fontes,
Qua celer Aoniam recluſit Pegaſus undam.

17.
Hortorum delectatio.

Seu magis Hortorum delectat cura, laborque,
Ex quorum reditu convivia lauta parantur,
Nec Regum menſis cedentia luxurioſis.

18.
Praedii amoeniſſimi deſcriptio.

Eſt locus aeterni ſedes placidiſſima veris,
Uber aquis: ſpirant zephyri, puroque recentes
Nectare perfundunt flores: cum floribus herbas,
Et gravidas fruges, & poma gravantia ramos
Semper alit, ſemper ſimiles ſibi parturit annus.
Naturae domus eſt, ſolio ſedet illa virenti
Sublimis: roſei vultus, plenusque vigoris
Ore color: turgent niveo rorantia lacte
Ubera: praecingunt frondes & poma capillos.
Verſicolor veſtis, molli quam texuit auro
Ipſa ſibi, pictamque manu variavit & arte.
Materiam ars ſuperat.

Nil

SECT. VII.

19.

Nil proprium nobis natura dedit.

Saeviat atque novos moveat natura tumultus;
Quantum hinc imminuet? - - - - - - - -
Nam proprium telluris herum natura, neque illum,
Nec me, nec quemquam ſtatuit. . . . . .
. . . .
Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius: ſed cedet in uſum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes:
Fortiaque adverſis opponite pectora rebus.

20.

Praeſtant pauca jure.

Parva viri Dominum metuentis jugera praeſtant
His, ſunt injuſta quae bona parta manu.

21.

Divitiae dant curas.

- - - His qui affluit, eſſe beatum,
Felicemque putat craſſi dementia vulgi.
Sed neſcit quanti lateant ſub floribus hydri,
Quotque roſas inter ſpinae naſcantur acutae.

22.

Divitiae inducunt timorem.

Pauca licet portes argenti vaſcula puri
Nocte iter ingreſſus, gladium, contumque timebis.
Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

23.
Non optandae.

Quantum ergo ſatis eſt vitae, nihil amplius opta;
Namque ſupervacuo ſtulti laetantur: acervos
Ingentes fruſtra, fruſtra horrea plena requiris
Cum modio cumerave famem propellere poſſis.
Cum tibi ſufficiant cyathi, cur dolia quaeris?

24.
Divitiarum deteſtatio.

Aurum deſtructor vitae, princepsque malorum,
O quam difficiles nectis ubique dolos!
O utinam natum numquam mortalibus eſſes,
Dulcia ſuppeditas quae nocumenta viris!
Te propter pugnae fiunt, & bella moventur,
Ad praedam & caedes corpora noſtra trahis.
Tu facis, ingratus patrem quod filius odit:
Inter & agnatos jurgia ſaepe moves.
Proſternis gentes, & totum deſtruis orbem,
Nulla fides hominis, te duce, ſtare poteſt.

25.
Tamen omnia Divitiis parent.

Virtus, fama, decus, Divina humanaque pulchris
Divitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam Rex,
Et quidquid volet; hoc veluti virtute paratum
Speravit magnae laudi fore.

26.
Quaenam faciant beatum.

Jure viri nomen non occupat ille beati,
Qui bona, qui nummos poſſidet innumeros.

Sed

Sed qui Divinis ſapienter noverit uti
Muneribus, duram pauperiemque pati,
Qui pejus letho ſceleratae crimina vitae
Diffugit, is ſolus jure beatus erit.

Horat.

Non poſſidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramve callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet.

27.
Curae quandoque levandae.

Modum labori pone, Vir prudens, tuo:
Regula certa monet
Ne quid ſit in vita nimis.
Jungenda nimiis eſt quies laboribus,
Pondere ſub nimio
Ne mens fatiscat languida.
Memor caducae ſortis animum gaudio
Imbue non vetito,
Et junge laeta triſtibus.
Nec ſperne curas & timores anxios,
Dum ruit hora rapax,
Dulci Lyaeo pellere.

Attamen à ſtudio nimio, nimioque labore
Abſtineas, ne, dum ſapientia quaeritur, amens
Fias, vel morbum incurras, tu teque trucides.
Immodica officiunt, nec longo tempore durant.

28.
Non Exemplis, sed ratione vivendum.

Multum exempla valent; adeo est imitabilis error.
Nemo putet sibi me addictum: mihi flectere mentem
Sola solet ratio: ratio dux fida Sophorum est:
Hanc scrutator amet veri, in primisque sequatur.

29.
Exempla tamen docent rudes.

Sed quia non facile est rudibus ratione doceri,
Tentandum exemplis melius recludere verum.
Ergo sit probus & doctus prudensque magister,
Qui puerum instituat, cogatque assuescere honestis;
Nec tantum verbis moneat, sed valdius ipsum
Exemplis moveat.

30.
Exemplo sapere alieno.

Multorum disce exemplis, quae facta sequaris,
Quae fugias: Vita est nobis aliena magistra.
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. (†)
(†) *Owen.*
Felix, quem faciunt aliorum cornua cautum,
Saepe suo coelebs dixit Acerra patri.

31.
Experientia docet.

Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

32.
Fama servanda.

Splendor & intactae nomen memorabile Famae
Attalicas censu divite vincit opes.

Fatum reddit opes; reparatur at aurea nullo
Tempore virginitas, eſt ubi laeſa ſemel.

Vel

Quamvisque perdas omnia,
Domos, agellos, praedia,
Pecunias: Famam tamen
Servare ſemper integram
Summis ſtude laboribus;
Namque hac ſemel deperdita
Perdes miſellus omnia,
Erisque nullus poſtea.

33.
Felix quis.

Cum nobis igitur duo ſint, corpuſque animuſque,
Qui vere eſt felix, parte eſt perfectus utraque.
Eſt agilis, pulcher, robuſtus, ſanus; & idem
Eſt ſapiens, fortis, prudens, doctusque bonusque,
Perfectosque tenet ſenſus, perfectaque mentis
Munera, pauperiem neſcit, caſusque malignos.

34.
Feſtina lente.

Qui nimium properant, abſolvunt ſegnius; Ergo
Feſtina lente: ſat cito, ſi bene ſat.

35.
Fideles pauci.

Difficile eſt etenim cum multis vivere poſſe
Et converſari aſſidue, quae maxime amicos
Res decet, à multisque fides negat ipſa teneri,
Cum paucis habitat potius. Non ergo fideles

Esse tibi multos credas: nec dilige vulgus,
Nec te vulgus amet: comes est discordia vulgi.

36.
In Venere nemo fidelis.

Si quemquam fidum credas; est nemo fidelis
In Venere: illa dolis incautos fallere gaudet.
Fraude paratur amor, Veneri gratissima fraus est.

Et

Nulla fides Veneri; levis est; interque planetas
Ponitur (haud inter sidera fixa) Venus.

37.
Fortuna transfigurat hominem.

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul;
Si volet haec eadem, fies de Consule Rhetor. (*)
(*) Quidni, Lictor.

38.
Quin & seipsam.

Fortuna saevo laeta negotio,
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores;
Nunc mihi nunc aliis benigna.

39.
Ejus inconstantia.

Qui modo Croesus erat, cito fit pauperrimus Irus:
Croesus & est subito, qui prius Irus erat.

40.
Et fallacia.

Cum fortuna tibi blanditur, fallere quaerit;
Sors levis, & certam vix habet illa fidem.

Et

SECT. VII.

41.

Et improbitas.

Adſpicimus pravos, indoctos, mentis egentes,
Sublimi in ſolio poſitos; dominarier illis
Qui ſe ſunt longe meliores, & quibus ipſi
Deberent ſervire magis. Nempe improba ludit
Rebus in humanis Fortuna, & lege ſine ulla
Omnia confundit.

Catull.

Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet;
Per conſulatum peierat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Aliter *Cato:*
Noli ſucceſſus indigni ferre moleſte:
Indulget fortuna malis, ut ludere poſſit.

42.

Incommoda vitae patienter ferenda.

. . . . . . Ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae,
Nec jactare jugum vita didicere magiſtra.

43.

Labor aſſiduus omnia vincit.

Aſſiduus labor, & ſollers induſtria, quid non
Edomat? huic cedunt omnia, dura licet.

44.

Laudis dulcedine trahimur.

. . . . . An erit, qui velle recuſet
Os populi meruiſſe: & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?

Lau-

Esse tibi multos credas: nec dilige vulgus,
Nec te vulgus amet: comes est discordia vulgi.

36.
In Venere nemo fidelis.

Si quemquam fidum credas; est nemo fidelis
In Venere: illa dolis incautos fallere gaudet.
Fraude paratur amor, Veneri gratissima fraus est.

Et

Nulla fides Veneri; levis est; interque planetas
Ponitur (haud inter sidera fixa) Venus.

37.
Fortuna transfigurat hominem.

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul;
Si volet haec eadem, fies de Consule Rhetor. (*)
(*) Quidni, Lictor.

38.
Quin & seipsam.

Fortuna saevo laeta negotio,
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores;
Nunc mihi nunc aliis benigna.

39.
Ejus inconstantia.

Qui modo Croesus erat, cito fit pauperrimus Irus:
Croesus & est subito, qui prius Irus erat.

40.
Et fallacia.

Cum fortuna tibi blanditur, fallere quaerit;
Sors levis, & certam vix habet illa fidem.

Et

41.
Et improbitas.

Adſpicimus pravos, indoctos, mentis egentes,
Sublimi in ſolio poſitos; dominarier illis
Qui ſe ſunt longe meliores, & quibus ipſi
Deberent ſervire magis. Nempe improba ludit
Rebus in humanis Fortuna, & lege ſine ulla
Omnia confundit.

Catull.
Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet;
Per conſulatum peierat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Aliter *Cato:*
Noli ſucceſſus indigni ferre moleſte:
Indulget fortuna malis, ut ludere poſſit.

42.
Incommoda vitae patienter ferenda.

. . . . . . Ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae,
Nec jactare jugum vita didicere magiſtra.

43.
Labor aſſiduus omnia vincit.

Aſſiduus labor, & ſollers induſtria, quid non
Edomat? huic cedunt omnia, dura licet.

44.
Laudis dulcedine trahimur.

. . . . . An erit, qui velle recuſet
Os populi meruiſſe: & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?

Laudes Principis sui ita evehit Sannazar.

Principis noſtri decus atque laudes
Fama per latas ſpatiata terras
Evehat, qua ſol oriens, cadenſque
  Frena retorquet;
Quaque non notos populos, & urbes
Damnat aethereis Helice pruinis,
Quaque ferventis cumulos arenae
  Diſſipat Auſter.

Similiter *Wallius*:

Macte tuis, Leopolde, animis armisque ſecundis!
Ante nec alterni noſtris in fluctibus aeſtus,
Nec pelago piſces, nec erunt in litore conchae:
Ante ſuos repetent fontes, quae flumina noſtris
Se miſcent undis; proque undis arva carinae,
Proque arvis undas curvum ſulcabit aratrum,
Quam nobis deſint laudum argumenta tuarum.

45.

Libertas aurea.

Libertas res eſt fulvo pretioſior auro;
  Omnibus & gemmis anteferenda maris.

46.

Libertas inordinata, prava Licentia.

Non haec Libertas, ſed prava Licentia dici
Debet: qui ſic eſt liber, ſervire videtur.
Talis libertas non eſt cupienda frequenter,
In mala praecipitem quae plurima mittit habentem.
Eſt melius non poſſe malum committere, quam ſi
Undique peccandi pateat via. Quot perierunt
Ob talem libertatem? Quot ſaepe fuerunt
Incolumes, quoniam frenos habuere tenaces?

Lude-

47.

Ludere & Jocari reficit animum.

Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

48.

Malorum consortium vitandum.

- - - - - Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & prurigine porci,
Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.

Ergo

In primis ſtudeas laſcivis atque ſceleſtis
Arceri á ſociis: commercia turpia ſanctos
Corrumpunt mores; multi hoc periere veneno.

49.

Medicus.

Imperat hic aegris, operoſaque arte medetur,
Sedulus, et fidus, dignus honore, vigil.

50.

Periculoſus.

Incidit in ſcyllam cupiens vitare charybdim,
Qui morbum vitans incidit in Medicum.

51.

Propter incertitudinem artis.

Conſule item, ſi opus eſt, medicum, vel clinicus ille
Vel ſit chirurgus, chirurgi certior eſt ars:
Nam quid agat, certum eſt, & aperta luce videtur:

Clinicus ipſe autem, qui nunc Phyſicus quoque fertur,
Dum lotium infelix ſpectans, inde omnia captat,
Dum tentat pulſum venae, dum ſtercora verſat,
Fallitur & fallit: ſed non diſcriminis aequa
Conditio: ille miſer moritur, cauſamque canendi
Linigeris raſis praebet, calviſque cucullis:
Hic alius contra, ſceleris mercede recepta,
Cauſatur Superos, ac fatis imputat ipſis
Si quis obit, laetusque implet multo aere crumenam.
Hei mihi! pene omnes caſu, non arte medentur:
Quippe aliquam quicumque artem bene novit, agendo
Aut numquam, aut ſaltem raro peccabit: at iſti,
De quibus eſt ſermo, de centum vix erit unus,
Quem ſanare queant, quem non fortaſſe trucident,
Carnificesque hominum ſub honeſto nomine fiunt.

52.

Medicorum habilitas ad Imperantium curam refertur.

Vos, quibus imperium eſt, qui mundi frena tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite peſtem:
Conſulite humano generi, quot nocte dieque
Horum carnificum culpa mittuntur ad orcum?
Vel perfecte artem diſcant, vel non medeantur.
Nam ſi aliae peccant artes, tolerabile certe eſt:
Haec vero niſi ſit perfecta, eſt plena pericli,
Et ſaevit, tanquam occulta atque domeſtica peſtis.
Non multum eſt igitur tutum his committere ſeſe,
Quorum doctrina eſt, pretioſa in veſte videri,
Gemmatoque auro digitos ornare cinaedos.

53.

Medici tres facies.

Tres medicus facies habet: unam, quando rogatur,
Angelicam; mox eſt, cum juvat ille, Deus:

Aſt

Aſt ubi curato, poſcit ſua munera, morbo,
Horridus apparet terribiliſque Satan.

54.
Medicus Virgilii ſectator.

Aurum Virgilius de ſtercore colligit Enni:
Fecit Virgilius, quod facit & Medicus.

55.
Medicus & Juriſconſultus.

Juriſconſultorum idem ſtatus & Medicorum eſt,
Damna quibus licito ſunt aliena lucro.
Hi morbis aegrotûm, agrorum litibus illi
Dant patienter opem, dum potiantur opum.
Idem *Owenus:*
Furtum non facies, Juriſtae ſcribitur haec lex:
Haec, *non occides*, pertinet ad Medicum.

56.
Chirurgi fatum.

Bella magis pacemve precer? mihi ſervit utrumque:
Ambo patroni Marsque Venusque mihi.

57.
Mel & venenum ex eodem flore.

Toxica ab hoc carpit ſublimis aranea flore,
Dulcia quo parvae mella parantur api.
Sic quoque virtutem ſcelerata calumnia carpis,
Et quod in hac damnes, improbe livor, habes.

58.
Memor ſis tui.

Sperne repugnando tibi tu contrarius eſſe;
Conveniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe.

Memo-

59.

Memoriae amica Brevitas.

Cur ego tam ſtudeam brevitati, forte requiris:
Hoc factum eſt cauſâ, Lector amice, tua.
Sicut iter longum facienti oneroſius auro eſt
Argentum; longum ſic Epigramma brevi.

60.

Modulo te tuo metire.

Quemvis conditio ſua temperet, atque ſupellex:
Non male qui latuit vixit & ille bene.
Ne ſpernas humilesque caſas, tenuesque caminos.
Sunt qui non curant praedia, pingue ſolum;
Sed pede ſe digno virtutis conſcia vita
Metitur, fructus carpit & inde ſuos.
Quam recte perdix, cothurnix, phaſius ales
Nidos in planis depoſuere locis?
Scilicet alarum brevitatem, & pondus iniquum
Corporis expendunt, alta aliisque ſinunt.
Hoc quoque tu ſpectas, qui poſſes grandia quaeque;
Impoſitum curas ſed bene tutus onus.

61.

Mora in arduis vitanda.

In arduis negotiis
Vitanda ſemper tarditas
Eſt diligenter omnibus.

62.

Mores quisque ſuos obſervet.

Alterius cernas, caveas reprehendere mores:
Obſervans alios, noveris ipſe tuos.

Nam:

Nam:

Crimina qui cernunt aliorum, nec ſua cernunt,
 Hi ſapiunt aliis, deſipiuntque ſibi.

63.
Natura haud facile expellitur.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix.

64.
Navita de ventis, &c.

Index eſt animi ſermo, morumque fidelis
Haud dubie teſtis: quoniam quisque illa libenter
Et crebro loquitur, quibus oblectatur. Arator
De bobus, raſtris, de vomere. Navita narrat
De velis, remis, de reſtibus, atque carinis.
Miles equos memorat, gladios, haſtilia, pugnas.
Sic obſcoeni homines plerumque obſcoena loquuntur.

65.
Neceſſitas non habet legem.

Quod facere eſt, facito; ferto, quod ferre neceſſe eſt:
 Cedendum, quoties vis violenta premit.

66.
Ne quid nimis.

Omne, quod eſt nimium, vitioſum eſt: reſpice, ne quid
 Ergo nimis; medium, qui tenet apta, tenet.

67.
Nitimur in vetitum.

Quod venit ex facili, faciles ſegneſque tenemus:
Quod ſpe, quodque metu torſit, habere juvat.

68.
Ab origine cauſa metienda.

Num fonte ex dulci rivi effunduntur amari?
Num dulces rivi ex fonte effunduntur amaro?

69.
Pares cum paribus.

Vis tu noſſe hominem, qualis ſit? perſpice amicos
Illius; aſſociant ſimiles natura Deusque:
Cum paribusque pares habitant, vivuntque libenter.

70.
Pauper ſaepe latet.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

71.
Paupertas aequo animo ferenda.

At ſi pauper eris, patienter ſuſtine, & aequo
Pectore pauperiem tolera; magis illa ſiniſtris
Caſibus afficitur, plus curarum atque laborum
Perpetitur, qui plura tenet, cui plura dedit ſors:
Deprimiturque adeo rerum gravitate ſuarum,
Ut contemplari numquam coeleſtia poſſit.

Owen.

Sobria paupertas multorum cauſa bonorum eſt;
Hanc tamen ut peſtem plurima turba fugit.

Quies

SECT. VII.

72.
Quies modica.

Noli etiam justa vitam fraudare quiete;
Corporis instaurat somnus vires, animique:
At vigilando nimis corpus corrumpitur & mens.

73.
Simia manet simia, &c.

Aurea simiolus gestans insignia, mores
Exuit haud veteres, simiolusque manet.

74.
Somnus.

Hic hominum pellit curas, & fessa diurno
Membra labore levat, revocatque in corpora vires:
Quo sine non potis est quisquam producere vitam.

75.
Est frater mortis.

. . . Tuque ô domitor,
Somne, laborum, requies animi,
Pars humanae melior vitae,
Volucer, matris genus Astraeae,
Frater durae languide mortis.

Owen.
In somnis quanquam simulo pro tempore mortem,
Non est pars vitae dulcior ulla meae.
Permirum est in morte igitur, quid tam sit amarum,
Tam dulcis cum sit mortis imago Sopor.

76.
Sors sua aliorum sorti conferenda.

Quum tibi displiceat rerum fortuna tuarum,
Alterius specta, quo sit discrimine pejor.

77.
Tempus suum omnia habent.

Festinare nocet, nocet & cunctatio saepe:
  Tempore quaeque suo qui facit, ille sapit.
  Stegman.
Tempori, & ancipiti fortunae cedere, fas est;
  Qui pugnat contra, fallitur atque cadit.

78.
Valetudo res pretiosissima.

Ultra haec nitendum, ut vivamus corpore sano.
Quippe valetudo est censu praestantior omni:
Robustus fossor Rege est felicior aegro.

79.
Vires exquirendae.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus; & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.
Ne tentati poeniteat;
Si quid es acturus, sapiens, prius excute vires,
  Ne grave deficiens deinde queraris onus.
Qui cadit insolitae lassus sub pondere molis,
  Turpia vulgati damna pudoris habet.
Rectius à magno se quilibet abstinet ausu,
  Quam male tentatum deserit ante diem.

80.
Virginali formae virginalis convenit cultus.

Delia, vos miramur, & est mirabile, quod tam
  Dissimiles estis, tuque sororque tua;
Haec habitu casto, cum non sit, casta videtur:
  Tu praeter cultum nil meretricis habes.

Cum

Sect. VII.

Cum casti mores tibi sint, huic cultus honestus;
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

81.

Viris non convenit vestitus muliebris.


O quam turpe viro, muliebri incedere cultu,
Molliaque evulsis reddere crura pilis.

82.

Utilitatem expetimus omnes.

Omnes expetimus jucundas utilitates:
Possumus haud aliter, quin cupiamus eas.
Utile qui fugiant, quot sunt? Quis non, sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis?





SECT. VIII.

De ÆTATE PUERILI ET MAGISTRIS.

Confer Sect. XII.

Fingit equum tenera docilem cervice Magiſter
Ire viam, qua monſtrat eques: Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in ſylvis catulus: Nunc inbibe puro
Pectore verba, Puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

§. I.

Juventus colenda.

Donec erit ſtudiis aetas, tempusque juventae
Aptum, Theſpiades ſemper amato Deas.
Hae pariunt nomen, vitamque extendere veſtram
Non ſine muneribus, tempus in omne ſinunt.

2.

Reverentia aetati Puerili debita.

Nil dictu foedum viſuque haec limina tangant,
Intra quae Puer eſt: Procul hinc procul ite puellae
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contemſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Prava

Sect VIII.

3.
Prava colloquia vitanda.

Consuetudo potest quoscumque inducere mores;
Corrumpunt etiam sanctos commercia prava.
Vitent praecipue Juvenes; nam prona juventus
In quodcumque malum est: semperque obscoena loquuntur
Inter se Juvenes, & semper turpia versant.

4.
Et à lectione turpium librorum abstinendum.

Auctores etiam turpes, & turpia vitent
Colloquia; heu quantum bona mens corrumpitur istis?
Lectio nimirum esca animi est, quae, si bona, prodest:
Si mala sit, non parva solet dare damna legenti;
Non secus atque malus cibus est damnosus edenti.

5.
Quales legendi.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo:
Hic meret aera liber Sosiis, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.

6.
De nimia librorum copia.

Copia librorum non est spectanda Magistri,
  Sed potius quantum creverit arte Puer.
Prodest selectos, paucosque videre libellos,
  Punctaque de quovis ferre petita juvat.
Proficies recte modicis ita, crede, diebus:
  Certa sit haec studiis semita parta tuis.
Et nocet auctorum, & nocuit variatio crebra,
  Ingenium turbat, judicioque vacat.

Magi-

7.
Magistrorum encomium.

Hi plus aedificant, quam multi saepe ministri
Verbi Divini, cum pietate valent.
His sine non ullus doctus foret orbe minister:
Sic mera barbaries nonne futura foret?

8.
Epitheta.

Quo major Graecus, major non estque Latinus:
Major & Hebraicus forsan in orbe nec est.
Summus Grammaticus, bonus Poëta,
Felix Historicus Latino-Graecus,
Atque originis Romuli repertor.

9.
Bonus Magister donum Dei.

Tu (*) mihi cultores animi, morumque magistros
Suggeris, & docilem me culturaeque capacem
Efficis, & sophiae musarumque indis amorem.
(*) *Deus.*

Ergo

O quam beatus, qui neque devios
Vitae magistros auribus excipit;
Nec impios coetus secutus
Turpe nefas animo volutat.

Et
Dux fidus.

Si dux ipse bonus, bonus est comes; Ergo magister
Debet discipulis dux bonus esse suis.

10.

10.
Magistri sors.

Declamare doces, ô ferrea pectora Vetti,
Cum perimet saevos classis numerosa tyrannos.
Nam quaecunque sedens modo legerat, haec eadem stans
Perferet atque eadem cantabit versibus iisdem.
Occidit miseros crambe repetita Magistros.
Quis calor, & quod sit caussae genus, atque ubi summa
Quaestio, quae veniant diversae sorte sagittae,
Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.

11.
Magistrorum rigidae leges.

- - - Sed vos saevas imponite leges,
Ut Praeceptori verborum regula constet;
Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues, digitosque suos: . . .
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cera vultum facit: exigite, ut sit
Et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non est leve tot puerorum
Observare manus, oculosque in fine trementes.
Haec, inquit, cura, sed cum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

12.
Officium boni Magistri.

Vos moneo, quorum est fidei commissa Juventus,
Et quorum est teneras Puerorum fingere mentes,
Ceu molles digito ceras: haec scripta perosi
Deteriora, aliis incumbite: & illa docete
Arida quae non sint, & non indigna referri.
Historiae placeant nostrates, ac peregrinae:

His se cirrati oblectent, has mente reponant.
Nectareos maneant succos (mihi credite) vitam
Instituunt, quae sint fugienda sequendaque monstrant.
Fabula non omnis spernenda est; saepe legatur
Utile quid moneat puris Comoedia verbis.
Sunt etiam (fateor) complura Poëmata pravis
Haud temerata jocis: sed quae gravitate virili
Procedunt, placidoque tegunt sub cortice mella.
Illa juvant, eadem pariter sine crimine prosunt:
Istis discipulos epulis educite vestros.

13.
Exemplo doceat suo.

Hi mihi Doctores semper placuere, docenda
  Qui faciunt, plus quam qui facienda docent.

14.
Castigatio.

Tu, cuicumque bonam mens est educere Prolem,
Corripe nunc verbis duris, nunc utere virga,
Si sit opus, monstraque viam, qua incedere oportet:
Nec faveas illis, patriumque iratus amorem
Dissimula semper: nil perniciosius est quam
Blandiri Pueris: animos ad crimina sumunt:
Tunc nil non audent, quum tu quaecunque loquuntur
Vera putas: Asinusque bipes oracula credis,
Ac nimis indulges, vesano captus amore.

15.
à Prima aetate.

Tu quos ad studium, atque usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi Juvenum, dum mobilis aetas.

Princi-

16.

Principiis obviandum.

. . . . . . Non tu medicamina differ,
Sed cito curam adhibe, tenuis dum morbus adhuc non
Aſſumſit vires, nec ineſt penetralibus hoſtis:
Ignis ab exigua naſcens extinguitur unda:
Sed poſtquam crevit, quatiunt & ſidera flammae,
Vix putei, fontes, fluvii ſuccurrere poſſunt.

17.

Ignavia deteſtanda.

Incumbere aequis ut poteſt laboribus,
Quos ſors cuique deſtinat mortalium,
Humana mens, ſuisque curis fungitur:
Sic occupari tota ſi debet, vices
Nec experitur, unde lenimen queat
Haurire, ſentit plurimum faſtidii,
Et blandientis otii ſolatium
Efflagitat, quo feſſus exſurgat vigor.
Ignavia autem ſi placere coeperit,
Peccata crèſcunt uberi propagine,
Et caſtitati ſubruendae militant.
Quicunque Veſtrum ſemitam rectae velit
Virtutis ire, vitet hanc morum luem,
Peſtem nefandam, criminumque fabricam.
Reges & urbes otium peſſum dedit.

18.

Feriae quandoque concedendae.

Eſt etiam curis requies adhibenda moleſtis:
Si nimium intendas, chorda redibit iners.
Non durant vires; adamas quoque frangitur arte:
Quaeque ſuo laxas tempore, firma manent.

Mausolaea ruunt, lapidumque cavatio guttis
    Fit facilis, longam cum subiere moram.

19.
Otii literati dignitas.

Non removent gazae, non lictor Consulis arcet
    Curas, quae circum tecta superba volant.
Sed tranquilla quies animi pretiosior auro est,
    Omnibus atque aliis anteferenda bonis.

20.
Gratiarum actio ad Curatores pro accepto diligentiae praemio.

Nec Vos, ô magni Proceres, indicta silebunt
Nomina, quos rerum eventu prudentia major
Extulit, & magnis admovit gloria curis
Nunc, dum Vestra canunt, & grato carmine laudant
Munera, quae teneros primae dulcedine famae
Irritant animos, humiles ne spernite Musas.





SECT. IX.

DE ÆTATE VIRILI ET VIRTUTIBUS AC OFFICIIS COLENDIS.

PRaefulget Sapiens aliis, ceu ſideribus ſol,
Fortunae imperium tutus contemnit, & omnes
Calcat ſub pedibus conſtanti pectore caſus.
Quin etiam nullo mortis terrore movetur,
Nec timet infernas poenas ſibi conſcius; imo
Laetus obit, ridens pavidi fantasmata vulgi:
Nec dubitans miſerum hoc, plenumque laboribus aevum
Linquere, & aeternam moriendo acquirere pacem.
Vide plura infr. ſub Sapientia.

1.

Adverſa toleranda.

Conſtantem ſemper mentem ſervare memento:
  Rebus in adverſis non ſecus atque bonis.
Cum bona de Domini ſusceperis omnia dextra;
  Cur mala non itidem ſuſtinuiſſe velis?
Quae tibi cuncta Deus dedit, haec Deus abſtulit idem,
  Fecit is ad placitum cuncta creata ſuum.
Quisquis es ergo gravi fortuna preſſus ab Auſtro,
  Laudibus extollas nomen ad aſtra Dei.

2.

Affectandum nil ſupra vires.

Negotiis qui plurimis
Se miſcet, atque ſuſcipit

Majora, quam quae propriis
Sufferre poſſit viribus;
Et qui ſupervacaneis
Diſtringitur laboribus,
Aliena curans munia,
Nae ſtultus ille maximus,
Senſusque prorſus impotens,
Dignusque qui nequiſſimo
Accenſeatur ordini.

3.

Amicitiae commendatio.

Claram de medio conantur tollere lucem
Utile qui fugiunt foedus Amicitiae.
Nil eſt quod vitae magis huic conducat inerti,
Innumeros fructus, commoda mille vides.
Hac ſine non umquam ſteterit Respublica, quamvis
Sit penitus ſummis undique cincta jugis.
Concors inſignes ut opes, eademque voluntas
Munit, diſcordi ſic quoque cuncta ruunt.
Hinc Agrigentinus vates conſtare putabat
Legibus his, quicquid clauderet orbe Deus.
Conſilium quare non improbo, care Poëta,
Quod ſocii defles fata, vicemque tui.
Quippe ita declaras, tua quae conſtantia fratres
Ereptos maneat, qua doleasve fide.
Carmina conſumet numquam tua livor, edaxque
Tempus, & inceptum creſcet honore decus.

4.

Amicitia bilateralis.

Exigis à nobis, quem nulli ſolvis, amorem;
Quam nulli praeſtas, exigis, Auſte, fidem.

Exi-

Exigis à nobis, quem non merearis, honorem:
  Mirum eſt, quod non das, id tibi velle dari.

5.

Comparatur benefaciendo.

Si potis, ignotis etiam prodeſſe memento:
Utilius regno eſt, meritis adquirere amicos.

6.

Donis comparata non eſt durabilis.

. . . Donis multi acquiruntur Amici:
Verum talis amor non eſt durabilis, & quum
Deficit utilitas, fugit illico; praecipue ſi
Ulterior non ulla manet ſpes utile habendi.

7.

Amicus fidus optima eſt poſſeſſio vitae.

Optima quod noſtrae poſſeſſio fidus amicus
  Sit vitae, à ſocio vita remota docet.

8.

Sed rarus.

Millibus ex multis unus vix fidus Amicus;
  Hic albo corvo rarior eſſe ſolet.

9.

Ejus officium.

Scilicet, officium fidos decet illud amicos,
  Rebus ut alterius porrigat alter opem.

10.

Quales amici eligendi.

Junge tibi ſocios pulchrae virtutis amore;
  Nam Venere & Baccho junctus abibit amor.

Cauſa

Causa ligat gratos hoc foedere semper amicos;
  Altera sed subito dissoluenda venit.
Ostendunt animos etiam mentemque revelant,
  Cum quibus assidue vivis amore, fide.
Ac veluti visco si occurrat rete ferendo
  Quis tibi, ne quaeras conditionis opus.
Sic delectatur qui consuetudine prava,
  Est similis socio moribus ille suo.
Ergo:
Ex multis aliquem tibi selige cautus, & illi
  Fide; sed ante vide, dignus an ille fide?
Vidi namque fides quod fallat: tutius ergo
  Fidis, quando vides, cui sit habenda fides?
Fide parum, multumque vide, nam fidere multum,
  Et vidisse parum, maxima damna parit.

11.

Amico non omnia revelanda.

Quod si arcana suo quisquam commisit amico,
Hunc metuat, ne quando fides frangatur, oportet:
Ne, quando infensus, mutata mente, revelet
Quod prius in cordis penetralibus occultabat.
Ergo, si liber vis esse, & vivere tutus,
Non ulli credas quod tu clam feceris: & sic
Semper amicum habeas, dum durat foedus, ut ipsum
Posse putes hostem fieri, quod saepe videtur:
Nam qui semper ament, nostro sunt tempore rari.

12.

Amor sincerus omnia vincit.

Certe nec melius quidquam, nec dulcius est, quam
Sincere à multis, dum vita haec duret, amari.
Rebus in adversis magnum munimen amici:
Solantur, firmant animum, prodesse laborant:

Qua-

Quaque valent, miseras curas & damna levare
Conantur, tecumque dolent, tecumque queruntur,
Haud facile ille perit; quicumque est dives amicis.
At cum te vultu spectat fortuna sereno,
Et versat meliore rota, tua commoda tecum
Plena jocis celebrant, augent tua facta favendo.
Quare, qui tutam & laetam vult ducere vitam,
Quam multos studeat semper sibi jungere Amicos.

13.

Qualis amor durabilis.

. . . . . . Amor est durabilis ille
Dumtaxat, cuicumque dedit fundamina Virtus,
Quem genuit Probitas: Amor hic pia pectora tantum,
Sincerosque animos aeterno glutine firmat.
Et numquam verus Pyladae insidiatur Orestes,
Nec Pylades mortem curat, modo prosit Oresti.

14.

Amoris fons mens eadem.

Est autem vetus auctorum sententia, mores
Quod similes, simile & studium, sunt fomes amoris:
Sic vanus vanum, studiosus sic studiosum
Deligit, & socios adeunt animalia coetus.
Hoc non inficior: nam quo jungentur amore
Hi, quibus est mens diversa, & diversa voluntas?
Cum sit amicorum cupere & contemnere id ipsum.

Et

Conveniens morum concordia cordis & oris
Dulcis amicitiae vincula firma facit.

15.

Pedetentim contractus amor firmior.

Tardior in longos amor est durabilis annos:
Lenta magis durant quam violenta diu.

Ut paritura canis cupidus festinat amator;
  Unde fit, ut catulus sit quasi coecus Amor.

16.
Amor inter paucos fortior.

Nempe, amor in plures divisus, debilior fit,
Fortior in paucos, unita potentior est vis
Quaelibet; at partes in plures secta peribit:
Recte igitur dicunt: Raros tibi quaere Sodales.

17.
Amori inimica simulatio.

Nil pejus quam simulare quam fidelem
Se fratrem studiis, bonaque mente.
Existit siquidem frequens querela,
Ira ac insidiae periculosae.
Quanto major erat fovens amicos,
Tanto post melius sibi cavebit.
Ergo qui pariter cupit salutem,
Is vere nitidissimos amore
Virtutis sibi jungat, & fideles.

18.
Et religionis disparitas.

Est in amicitia suavis concordia rerum:
  Nec potis est fictos; aut violenta pati.
Nam virtute coit, simulat nec turpia lucra:
  Haec ubi deficiunt, debita nulla fides.
Nullus amor durat, nulli comitantur honores,
  Et quamvis caussae dissoluere leves.
Sed nec in humanis consensus firmat amicos,
  Sint opus aeterna relligione pares.
Quis sua committat Turcis, quo foedere tutus,
  Qui diversa colit Numina, fingit idem.

19.
Artis gloria.

Artem, crede mihi, quaevis alit ubere terra:
Artifici docto gloria ſemper erit.

20.
Et ſolamen.

Artibus ingenuis ſtuduiſſe potiſſima laus eſt,
Et ſtudium quemvis edidiciſſe juvat.
Dulcia nam Juveni praebent alimenta, ſenectam
Oblectant triſtem, triſtitiamque fugant.
Rebus in adverſis ſolamina grata miniſtrant:
Rebus & in placidis ſunt decus eximium.
Artes nos ſolae comitantur ubique locorum,
Per mare, per ventos, barbariemque feram.

21.
Semperque remanet.

Diſce aliquid: nam quum ſubito fortuna receſſit,
Ars remanet, vitamque hominis non deſerit umquam.

22.
Audaces fortuna juvat.

Laurea deſidiae praebetur nulla: potenti
Eſto animo, atque aude: Audenti fortuna favorem
Saepe tulit, pavidoque vetat gaudere triumpho.

23.
Benefaciendo neminem timeas.

Cur Proceres, cur me Romana Palatia vexent?
Si faciam, quod me lexque pudorque jubent.

24.
Bona sola, quae honesta.

Frustra sollicitus modo contrahis utile quid sit;
Utilis haud res est, nî sit honesta simul.

25.
Facta virum probant.

Qui scribenda facit, scribitve legenda, beatus
Ille; beatior es tu, quod utrumque facis.
Digna legi scribis, facis & dignissima scribi:
Scripta probant doctum te tua, facta probum.

26.
Boni viri effigies.

Ars utinam mores animumque effingere posset!
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

27.
Boni rari.

Vir bonus & prudens, qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum, consultus Apollo,
Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem.

28.
Bonus vir suo statu contentus.

Vir bonus, & verae compos virtutis, abunde
Contentus, vulgi laudes contemnit & odit.
Nec fumum quaerit, nec inani pascitur aura,
Insignis facies fucis non indiget; aurum,
Quod per se pulchrum est, nudum monstratur: at ille
Qui non est, aliqua saltem cupit arte videri,

Perso-

Perſonamque ſibi inducit velut Hiſtrio. Quare
Si recte aſpicias, vita haec eſt fabula quaedam.

29.
Clementia exercenda.

. . . . . Natura creavit
Nos, non ut ſolum nobis, noſtrisque propinquis,
Aſt aliis etiam quum poſſumus, emolumento
Simus: Quid, quaeſo, praeclarius, atque Deorum
Dignius eſt ſolio, auxilium quam ferre ruenti,
Tradere pauperibus victum, miſeriſque mederi?
Sic nos turba colit, ſic famam acquirimus: atque
Ad ſuperos multi per talia facta volarunt.
Nam:
Nullum majus erit lucrum, quam paſcere egenos:
Foenore nam grandi centupla dona feres.
Quas Chriſti cauſa miſeris donabis egenis,
In coelo aeternas conciliabis opes.

30.
Ejus commendatio.

Quumque potes, miſerere inopum, & ne deſpice egenos;
Hoc pacto acquires laudem, aeternamque ſalutem,
Et pro terrenis coeleſtia munera habebis.
Non homo, ſed lupus eſt, quem non Clementia tangit,
Qui non alterius miſeranda ſorte movetur,
Qui negat auxilium ſocio praeſtare roganti.

31.
Non differenda poſt mortem.

Qui dum vixiſti, nulli benefeceris umquam,
Incipies fieri, Pontice, quando pius?
Omnia pauperibus, dicis, poſt fata relinquam:
Qui poſt fata ſapit, Pontice, ſero ſapit.

32.
Concordiae vis.

Vis unita valet; ſocio Concordia vinclo
Pectora quae jungit, vincere nemo poteſt.

33.
Conſtantis viri comparatio.

Ille velut rupes vaſtum quae prodit in aequor
Obvia ventorum furiis, expoſtaque vento,
Vim cunctam atque minas perfert coelique marisque
Ipſa immota manet.

34.
Contentum eſſe rebus ſuis.

Commoda naturae nullo tibi tempore deerunt,
Si fueris contentus eo, quod poſtulat uſus.

Horat.
Laetus in praeſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare, & amara laeto
Temperat riſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.

35.
Credendum haud facile.

Nec cito credideris: quantum cito credere laedat,
Exemplum vobis non leve Procrys erit.

36.
Nec cuilibet.

Quare non tutum eſt facile omnia credere cuivis,
Ille licet magni ſit nominis, innumerasque
Scribendo implerit nigra loligine chartas.
Magni ſaepe viri mendacia magna loquuntur,

Et

Et nemo est adeo prudens, quin saepius erret.
Est igitur ratio in primis quaerenda, fidesque
Major in ambiguis rationi est semper habenda.
Confer Sect. seq. §. 33.

37.
Discere ne pudeat.

Disce libens; quid dulcius est quam discere semper?
Discentem comitantur opes, comitantur honores.

38.
Dissimulatio.

Dissimula, simula, quoties occasio poscit,
Moribus ut morem temporibusque geras.
Temporibus, qui rite sapis, servire memento
Omnibus; ut tempus serviat omne tibi.

39.
Ejus commendatio.

Tu saltem taceas; nam dissimulare tacendo
Maxima plerumque est prudentia: vivere nescit,
Ut bene vulgus ait, qui nescit dissimulare.
Nonnumquam, mihi crede, nocet defendere verum:
Temporis atque loci proinde est servanda, hominumque
Conditio semper, ne quid te laedere possit.
Conf. Sect. VII. §. 77.

40.
Dives quis.

Non sunt, qui cumulant opes, beati.
Virtutem potius labore partam
Duco divitias beatiores.
Si constans fuerit beatitudo,

Num-

Numquam dejiciet ſuos alumnos,
Servabit proprio & ſinu receptos.
Atqui aurum nocuit bonis ſubinde,
Arceſſens odium metus nefandos.
Fures inſidias ſtruunt rapaces,
Arte ſi nequeunt, dolis minantur.
Sed virtus retinet bonis ſalutem.
Vis nulla imperat huic, manet vigilque;
Florentesque fovet gradus quieta.
I poſthac inhians amanter auro,
Te jactes aliis beatiorem.

41.
Dolo hoſtis ſuperandus.

Mutemus clypeos, Danaûmque inſignia nobis
Aptemus: dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

42.
Eloquentia vincit formam.

Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes;
Et tamen aequoreas torſit amore Deas.

43.
Eloquentiae cum ſapientia dignitas.

. . . . Sed gratia linguae
Maxima, quae docte ac prudenter ſingula profert.
Cultus habet ſermo, & ſapiens mirabile robur:
Imperat effectus varios, animumque gubernat:
Haec plus quam veſtes poterunt te reddere clarum,
Nec tu formoſi ſpecie capiaris ephebi.

44.
Facundia ſine conſilio.

Tradita (crede mihi) eſt multis Facundia; paucis
Conſilium: multi ſublimia carmina condunt,

Sunt

SECT. IX.

Sunt & Romano & Graeco ſermone diſerti,
Et cum multa ſciant, ſapiunt tamen aut modice, aut nil.
Verba nitent phaleris: at nullas verba medullas
Intus habent, ſola exterius ſpectatur imago.

45.
Fides data ſervanda.

Qua ſine non tellus pacem, non aequora nôrunt,
Juſtitiae concors, tacitumque in pectore numen.

46.
Finis reſpiciendus.

Quicquid agis, loqueris, meditaris, reſpice finem,
Menſuramque tene, ſi ſapienter agas.

47.
Fortitudo.

Si cupiunt fortes fieri, diſcrimina oportet
Multa pati, & multos coguntur ferre labores.

48.
Honor alit artes, & lucrum.

Cur juvat aſſiduis alium palleſcere chartis,
Et varios verſare libros noctesque diesque?
Nempe, ut poſt longos lucrum vel fama labores
Jucundum efficiat: nam ſi non ipſa placeret
Utilitas & Honos, virtus artesque perirent.

49.
Impari cedendum.

Cum ſcieris non eſſe parem te, tempore cede:
Victorem à victo ſuperari ſaepe videmus.

50.

Imperare sibi maximum imperium.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Poenus
Serviat uni.

51.

Infortuniis obsistendum.

Prospera non inflent animum, non aspera frangant;
Utra cadat, neutra mens generosa cadat.

52.

Ingenium pretiosius auro.

Ah! pereat, quisquis praefert virtutibus aurum;
Ingenium cunctas nobile vincit opes.

53.

Integritas vitae fugat curas.

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.

54.

Integritate nil amabilius.

Non magis est gratum cunctis, & amabile quicquam,
Moribus ingenuis, integroque ordine vitae:
Hoc plus divitiis, plus cognitione probatur.
Namque malus, quanquam doctrina & rebus abundet,
Nullis diligitur; vitiis odiosius est nil:
Si bonus atque probus fueris, vel amabere, vel te
Non odio saltem (velut arbitror) ullus habebit.

Jocis

SECT. IX.

55.

Jocis ludere permissum.

Misce stultitiam consiliis brevem,
Dulce est desipere in loco.

56.

Lingua cohibenda.

Virtutem primam esse puta, compescere linguam:
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

Nam

Nil melius lingua, lingua nil pejus eadem;
Nam moderata juvat, garrula lingua nocet.

57.

Moderatio animi.

Omnibus est caute jungenda modestia rebus,
Laudatur medio saepe stetisse loco.
Ardua qui tentat sine pennis, decidit; alas
Quod non optatas, queis veheretur, habet.
Quis non Daedaleos currus temerariaque ausa
Rideat exemplo suscipiatque minus?
Ergo, quicquid agis, tuta ratione probato,
Exemplique memor, fac, tueare modum.

58.

Modicum ingenium tutius.

Eloquio sed uterque (a) perît Orator: utrumque
Largus, & exundans letho dedit ingenii fons.
Ingenio manus est, est cervix caesa, nec unquam
Sanguine Caussidici maduerunt rostra pusilli.

(a.) *Demosthemes & Cicero.*

59.
Modus servandus.

In noctem prandis, in noctem, Turgide, coenas,
  Multimodoque mades nocte dieque mero.
Cumque cuti studeas, uxorem ducere non vis:
  Cur nolis; dicis, Vita pudica placet.
Turgide, mentiris. Non est haec vita pudica.
  Vis dicam quae sit vita pudica? Modus.

60.
Nosce te ipsum.

. . . . è Coelo descendit ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ;
Figendum, & memori tractandum pectore, sive
Conjugium quaeras, vel sacri in parte Senatus
Esse velis. . . . . .
Ancipitem seu tu magno discrimine caussam
Protegere affectes; te consule, dic tibi quis sis.

61.
Oblivio rerum irreparabilium.

Irreparabilium felix oblivio rerum;
  Vanaque praeteriti mentio saepe mali.

62.
Opinio Vulgi nullius assis.

Si sapientiam amas, tibi ne sit opinio Vulgi
Ante oculos, populi neque sit sententia curae;
Quandoquidem invisa est vulgo sapientia, propter
Dissimiles nimium mores; contraria semper
Se oppugnant, semperque sibi adversantur & obstant.
Vir bonus & verae compos virtutis, abunde
Contentus, vulgi laudes contemnit & odit;
Nec fumum quaerit, nec inani pascitur aura.
. . . . Quid caetera dicat
Turba, parum cura, & vulgi convicia ride;

Judi-

SECT. IX.

Judicium vulgi insulsum, imbecillaque mens est:
Stulta placent stultis, obsonia quisque palato
Digna suo quaerit, non omnibus una voluptas.
Sed docti atque boni, quae sunt pia, vera & honesta
Auscultant, avideque legunt, discuntque libenter;
Hic cibus illorum est, haec consolatio mentis.

63.

Opinio unius probi praestat multorum opinione malorum.

Non quot te laudent, sed qui, bene respice; praestat
Namque probo uni, quam mille placere malis.

64.

In opinionem suam sequentem.

Heu quantum in terra dominatur Opinio? verum
Me nescire putas, & dubitare vetas.
Qui dubitat, non errat; adhuc in utrumque paratus,
Error opinando, non dubitando venit.

65.

Parsimonia.

Semper eris pauper, reditus si sumptibus aeques,
Et larga dones munera cuique manu.
Enumera census, subduc ratione, supersit
An multum, lapso & mense quid addideris.
Tempore provideas, vacua ne sede morere,
Marsupio restet quantula summa vide.
Ne senium, morbi, duris & rebus egestas
Quando urgent: ludat fundus inanis herum.
Nec tamen insidas partis, non crastina verses
Sollicite: fructus sit mediocris opum.

66.
Patientia.

Quod tibi contigerit, patienter ferre memento:
Nam certum, fieri numine cuncta Dei.

67.
Patria juvanda.

Semper est laudabile profuisse
Patriae, fessamque levare curis
Nec minor virtus bene quam parenti
Reddere grates.

Hinc *Horat.*

Dulce & decorum est pro patria mori.

Nam &

Pro patria potuisse mori, quam vivere, major
Gloria; nam vitam mors facit esse decus.

Aliter *Owenus:*

Pro patria sit dulce mori, licet atque decorum;
Vivere pro patria dulcius esse puto.

Stegmann.

Vivamus patriae, patriae moriamur iidem;
Pro patria dulce est vivere, dulce mori.

68.
Pax grata.

Vir bonus & sapiens quaerit super omnia pacem,
Vultque minora pati, metuens graviora, cavetque
Ne parvo ex igni scelerata incendia surgant.

Psalm. 133.

Quam grata fratrum mutua gratia!
Quam pulchra pax est firma sodalium

Amo-

Amore junctorum fideli,
Invidia temerata nulla! (*Etc.*)
Sic sancta pax est, grata Deo simul,
Et grata toti Coelicolûm choro.
Sic vita decurrit beata,
Perpetua serie nepotum.

69.
Praeferenda bello.

Heu miser & ferus est, qui bella frequentius optat,
Quam pacem, melius qua nihil orbis habet.

Et

Me pax alma rapit, me Pacis amabile nomen
Afficit, & quae nunc otia mundus agit.
Pax superat partas sudore & sanguine lauros,
Et fixa hostili signa superba solo.
Gaudeat Europe, quae tot modo tristia vidit
Funera: quaesitae tempora pacis eunt.
Extremas iterum properat mercator ad oras,
Nec stratum infestis classibus aequor arat. (*Etc.*)
O utinam maneant nobis ea propria dona,
Semper & hinc *Gelris* aurea secla fluant!

70.
Paci inimica Duella.

Cum gemini juvenes, peperit quos Julia tellus,
Ambo pares animis, invictis viribus ambo,
Effoderent nudum per mutua vulnera pectus;
Vidit, & ex alto veniens Pax aurea coelo
Sanguine foedatos pugnantibus abstulit enses,
Ac tali ambiguum certamen voce diremit:
Este pares in amore, pares velut estis in armis.

Pro-

71.
Probitas cum sapientia.

Qui probus atque idem doctus: diademate talem
Quis dignum neget? Hic aliis praecellit ut aurum
Est orichalco nobilius, vitroque pyropus.

72.
Promissa praestanda.

Et est quidem magnum nefas
Et dedecus turpissimum
Magnatibus, promittere
Praestare quae non cogitent.

73.
Et quidem cito.

Gratia, quae tarda est, ingrata est: Gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

74.
Imo plus praestandum potius, quam promissum.

Plus tibi pollicitis praestandum; non minus: unde?
Una data est homini lingua, manusque duae.
At tu nil praestas; promittis plurima: tanquam,
Marce, duae linguae sint tibi, nulla manus.

75.
Prudentia.

Ingenio vires cedunt; Prudentia victrix
Cuncta domat.

76.
Sapientiae laus.

Proinde animi cultrix sola est Sapientia, mores
Quae docet, ut dixi, haec etenim vitia omnia vellit,

Vir-

Virtutesque serit, quas coelesti irrigat imbre;
O lex humani generis, via vera salutis,
Praesidium, portus, solamen, regula vitae:
O pax & medicina animi, ô venerabile asylum;
Suavior ac potior Sapientia nectare!

Conf. supr. §. I.

77.

Sapientiae dignitas.

Ad summam: Sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum;
Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

78.

Sapientia fons felicitatis.

Justum & tenacem consilî sui virum
Scelerisque purum promovet Sapientia
Felicitatis omnis ad fastigium,
Non ambientem gloria vana frui,
Opibusque fluxis atque honorum insignibus
Carere doctum. Victor incedit sui,
Quem Pallas armat. Auspice hac sortem premit,
Ejusque calcat munera audaci pede,
Et quod cupido sordidus defert sibi.
Avidum domare spiritum qui sciverit,
Regnum ille regnis omnibus majus tenet.

79.

Sapientia cum Scientia magna dos.

Quam pulchrum est, hominem pariter doctum esse probumque
Et scire & sapere? Insipiens doctrina timenda est;
Ut furiosus habens gladium, sic doctus iniquus.

80.
Sapientia cum virtute auro dignior.

Discite nonnulla esse auro longe meliora,
Quae stultis pravisque Deus concedere non vult.
Haec sunt Virtutes, Pietas, Prudentia, nec non
Justitia, & cunctis potior Sapientia rebus.
Haec bona quisquis habet, Deus est mortalis, & idem
Immortalis Homo, felix post fata futurus.

81.
Fidissima dux hominis.

Non docet hoc gemini nodosa scientia juris;
Non quae Paeonio sanat medicamine morbos:
Non Rhetor, non Grammaticus. Sapientia sola
Hoc aperit. Fida haec Hominum dux atque magistra est.

82.
Fortitudini praeferenda.

Quum tibi praevalidae fuerint in corpore vires,
Fac sapias: sic tu poteris vir Fortis haberi.

83.
Crescit usu.

Discere ne cessa: curâ Sapientia crescit:
Rara datur longo Prudentia temporis usu.

84.
Est tamen rara.

Juppiter omnipotens, ab te Sapientia quare
Aut nulli, aut adeo paucis donatur? Ubique
Formosos reperire licet, robustus ubique
Nascitur, & dives: Contra rarissima tellus,

Qui

Qui sapiat, quemquam tam vasto gignit in orbe.
Num melius fortasse putas & dignius, esse
Stultorum Regem, ac Dominum?

85.

Sapiens spernit divitias.

Sprevit Anaxagoras, sprevit Democritus, atque
Complures alii (quorum sapientia toti est
Nota orbi) argentum atque aurum, causasque malorum
Divitias; Quare? Nisi quod non vera putarunt
Esse bona haec, animum quae curis impediunt, &
In mala praecipitant quam plurima. Fabricius quod,
Quod Cato, quod Curius, sanctissima pectora, quondam
Senserunt.

86.

Sapiens ipse omnia experitur.

Si non vis falli, si vis tibi crescere cuncta
In melius, studeas res ipse agnoscere praesens.

87.

Idque antequam ad arma veniat.

Omnia vir Sapiens prius experiatur, ad arma
Quam ruat, aut hostem cominus ense petat.

88.

Vere Sapientis vita.

Pone hominum genus illorum, quibus optima mens est:
Qui res humanas spernunt, Divinaque tantum
Mirantur, quibus in primis Sapientia cordi est;
Qui contemplari naturam atque aethera gaudent,
Innocui, mites, justumque piumque colentes,
Quos neque divitiae capiunt, neque turpia carnis

Gaudia, nec tumidi ſplendor titillat honoris:
Coeleſtes homines, humano in corpore Divi.

89.
Sapientis & Vulgi diverſum judicium.

Ergo duplex ſcito eſſe Bonum, Vulgi ac Sapientum:
Sicque Malum duplex: atqui ſententia Vulgi
Deterior ſemper: nam craſſi hebetisque cerebri eſt,
Judicioque caret: propter quod corporis & quae
Fortunae bona ſunt, ſola haec miratur & optat:
Aſt animi bona vel neſcit, vel frivola credit.
Contra autem Sapiens animi bona, ſola requirit,
Caetera deſpiciens.
Tali igitur pacto aſſerimus, bona nulla Sceleſtis;
Et Juſtis mala nulla quidem contingere poſſe.

90.
Sapit fruſtra, qui ſapit ſolus.

Judicium populi numquam contemſeris unus:
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.
Vel
Cedendum multis: unum compeſcere multos
Difficile eſt; Si vis vincere, vince pares.

91.
Septem Graecorum Sapientum ſententiae.

Bias Prieneus:
Quaenam ſumma boni mens eſt ſibi conſcia recti.
Pernicies homini quae maxima? ſolus homo alter.
Quis dives? qui nil cupiet: quis pauper? avarus.
Quae dos matronis pulcherrima? vita pudica.
Quae caſta eſt? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? cum poſſit, nolle nocere.
Quid ſtulti proprium? non poſſe & velle nocere.

Pitta-

SECT. IX.

Pittacus Mitylenaeus:

Loqui ignorabit, qui tacere nesciat.
Bono probari malo, quam multis malis.
Pareto legi, quisque legem sanxeris.
Plures amicos re secunda compara;
Paucos amicos rebus adversis proba.

Cleobulus Lindius:

Quanto plus liceat tam libeat minus.
Fortunae invidia est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas alii multa, nihil tibi. *Etc.*

Periander Corinthius:

Nunquam discrepat utile à decore.
Plus est sollicitus magis beatus.
Mortem optare malum, timere pejus.
Faxis ut libeat quod est necesse.
Multis terribilis caveto multos.
Si fortuna juvat, caveto tolli;
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Solon Atheniensis:

Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sint.
Par pari jugator conjunx, quicquid impar, dissidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, sed palam laudaveris.
Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

Chilo Lacedaemonius:

Nolo minor me timeat, despiciatque major.
Vive memor mortis: uti sis memor & salutis.
Tristia cuncta exuperans aut animo, aut amico.
Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.
Quae bene facta accipias, perpetuo memento.
Grata senectus homini, quae parilis juventae:
Illa juventa est gravior, quae similis senectae.

Thales Milesius:

Turpe quid ausurus te sine teste time.
Vita perit: mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere sustuleris.
Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
Quum vere objurgas, sic inimice juvas.
Quum falso laudas, tunc & amice noces.
Nil nimium satis est: ne sit & hoc nimium.

De eisdem Sapientibus, è Graeco:

Septenis patriam sapientum, nomina, voces,
Versibus expediam: sua quemque Monosticha dicent.
Chilo, cui patria est Lacedaemon, te bene nosce.
Periander, Trepidam moderare Corinthius iram.
Ex Mitylenaeis, Nimium nil, *Pittacus* oris.
Mensuram optimum ait *Cleobulus* Lindius, in re.
Expectare *Solon* finem docet, ortus Athenis.
Plures esse *Bias* pravos, quam clara Priene.
Mileti fugisse *Thales* vadimonia alumnus.

92.

Silentii laus.

Eximia est virtus praestare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Conf. Infr. §. 97.

Et

Multa audi: dic pauca: tace abdita: disce minori
Parcere: majori cedere: ferre parem.

93.
Simplicitatis laus.

Ipsaque Simplicitas numquam mala cogitat ulla.
Hinc sincera fides aeterna fide fruetur:
Sed fraus atque dolus longo cruciabitur igni.
Elige quid velis, ut digna piacula vites.

94.
Servat suos cultores.

Sortis ab injustae qui turbine liber haberi
Vult, iter antiquae Simplicitatis eat.

95.
Sperandum semper.

Spes grave lenit onus, patientia sublevat; Ergo
Dum spiras, speres, atque ferenda feras.

96.
Spes semper remanet.

Occiduis hominum rebus Spes sola relicta est,
Quae jubet, exspectes ut meliora malis.
Continet adflictas blanda exspectatio mentes,
Atque novam subiens praemeditatur opem.
Haec, nisi sit vasti summus regnator Olympi,
Nullo constabit nuntia fida loco.
Ille potest lapsis certam promittere semper
Extremo casu ferreque amanter opem.

Faci-

97.
Taciturnitas est indicium Sapientiae.

Vis sapiens dici, raro & meditata loquare:
Saepe loquax verbis proditur ipse suis.

98.
Ejus praemium.

Quicumque linguam temperans
Gubernat arte garrulam,
Illi beato serior
Continget aetas, & bonis
Senectus aucta plurimis.

Conf. supr. §. 92.

99.
Et utilitas.

Fide parum, valido confringe loquacia freno
Guttura; nam raro conticuisse nocet.

100.
Cave tacentes.

Demisso tacitos animo vitare memento:
Qua flumen placidum est, forsan latet altius unda.

101.
Tranquillitatis potentia.

. . . . . Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperiosa quies.

102.
Veritas nuda.

Induta nullo tegmine Veritas,
Nullisque gaudet picta coloribus
Prodire, mentitosque vultus
Candida simplicitas recusat.

103.
Virtus non eget cultu.

Gratior est casto veniens e corpore Virtus,
Non eget haec cultu, non eget artis ope.
Ipsa sibi decori est: nec, quod sit pulchrior astris
Et Divos rapiat, lux aliena facit.
Non aliunde suos Sol accipit aureus ignes:
Formosus radiis est satis ipse suis.
Non rosa fucatos sibi poscit ab arte colores:
Nulla quod ars illi conferat, ipsa sibi est.

104.
Ejus pulchritudo.

Si posset Virtus (inquit Plato) nuda videri,
Mirus in hanc hominum conciperetur amor.
Vidit apud Venetos (si credere fas sit) Alethus
Virtutes nudas (a), & vitiavit eas.

(a) Quatuor meretriculas, *Virtutum* nominibus insignitas.

105.
Sola suis divitiis constat.

Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaque late
Fortunae secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi:
Nil opis extremae cupiens, nil indiga laudis:
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

106.
Semper manet, ad omnia utilis.

Est melius virtute nihil, quae permanet omni
Tempore; quae laudem tribuit, largitur honores,
Censum auget, vitam servat, post funera durat.

107.
Et constans.

Omnia sunt instar fluctus incerta, caduca:
Omnia sunt vento mobiliora levi.
Sola manet Virtus, defixa radicibus altis;
Haec manet in certo certa tenaxque loco.

108.
Facit nos immortales.

Omnia cum pereant, est virtus sola perennis;
Haec immortales reddere sola potest.

109.
Vitium sub specie virtutis fallit.

Fallit enim vitium specie virtutis, ut umbra;

110.
Virtus rectum praeponit utili.

. . . . . Bonus atque fidus
Judex honestum praetulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, & per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

111.
Ardua Virtutis via.

Difficile est Virtutis iter: tamen impiger illam
Assequitur, nec non pretium virtutis honorem.

Strenuus accipiet ſpecioſa epinicia miles;
Ignavus vero ac timidus ſine laude jacebit.

112.
Et habet ſuos adverſarios.

Virtus marceſcit, quam non premit invidus hoſtis:
Infelix, numquam quem petit invidia.

113.
Virtutis amore à peccato abſtinendum.

Oderunt peccare boni Virtutis amore:
Sunt igitur pauci nunc, Mariane, boni.
Improbitas tanti, probitas tam denique parvi
Penditur, ut probrum pene ſit, eſſe probum.

114.
Vera Virtus ſi ſemel excidit, non reponitur deterioribus.

Neque amiſſos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec vera Virtus, cum ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis: erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus.

Vel

Ut ſemel amiſſos fuco medicata colores
Nulla ſuos unquam lana referre poteſt;
Sic quoque non curat Virtus veneranda reponi
Militibus trepidis, cum ſemel exciderit.
Fortis erit, qui ſe perjuro credidit hoſti:
Si pugnat denſis cerva ſoluta plagis.

115.

Virtus celata parum distat ab inertia.

Nil celata juvat Virtus, sed distat inerti
A vita paulum, ni celebrata siet.

116.

Vis consilii expers mole ruit sua.

Vis consilii expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dii quoque provehunt
In majus: iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Vel

Consilii mox mole sua vis corruit expers:
Vim bene firmatam provehit ipse Deus
In majus: Sceleris vires Deus odit & arcet:
Nec probat illud opus, quod movet omne nefas.





SECT. X.

De VITIIS et ERRORIBUS VITANDIS.

Iliacos inter muros peccatur, & extra.

§. I.

Nemo sine vitiis.

Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam! Eheu!
Nam vitiis nemo sine nascitur: Optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

2.

Alterius vitia prius videmus, quam nostra.

Peras imposuit Jupiter nobis duas;
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
Alii simul delinquunt, censores sumus.

3.

Adulator.

Qui mel ferunt in oribus,
Sed fel gerunt in cordibus;
Hi sunt in orbe plurimi.
Quocunque ocellos missitas,

Sedem sibi firmissimam
Defixit haec astutia.
In Curiis, Ecclesiis,
Scholis, & Aulis Principum,
Inter Viros Celsissimos,
Cives & inter Rusticos.

4.
Ejus descriptio.

Quid? quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici;
Natio comoeda est: Rides? majore cachinno
Concutitur: Flet, si lacrimas aspexit amici,
Nec dolet: Igniculum brumae si tempore poscas,
Accipit endromyden: sudat, si dixeris, aestus.

5.
Mos perversus.

Quippe solent multi praesentem extollere dictis,
Semper adulantes; ut veri habeantur amici:
Ast, ubi terga abiens vertit, mordaciter urgent
Absentem, & rident, non valde est fidere tutum
Laudanti coram; mos est hic mancipiorum.

6.
Qui adulat, & qui adulatur, uterque nequam.

Qui vellicandis porrigit
Aures adulatoribus,
Circumque circa naribus
Tractus, retractus ducitur,
Nae mentis impos est suae,
Stultoque quovis stultior.
Tu cautior, qui plurima
Vitare vis pericula,

Ar-

Arce gnathones auribus,
Arce gnathones aedibus.

7.
Ergo.

Talis in ore sonus, qualis sit pectore sensus:
Congrua temperies cordis & oris erit.

8.
Ædificandi libido.

Ægrotare putes animi vitio. Accipe: primum
Ædificas: hoc est, longos (a.) imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis.
(a.) Magnates ambitiose aemulans.

9.
Est Puerilis amentia.

Ædificare casas, plostello adjungere muros,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.

10.
Et tendit in liberorum perniciem.

Progenies stimulante fame, festinat ad illam
Quam primum praedam rupto gustaverit ovo.
Ædificator erat Cetronius, &, modo curvo
Litore Cajetae, summa nunc Tiberis arce,
Nunc Praenestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Graecis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunae, atque Herculis aedem:
Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen mensura relictae

Par-

Partis erat: totam hanc turbavit Filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.

11.

Ævi perfidi perversitas.

Tuta fides toto nusquam reperitur in orbe;
Cunctaque perfidia sunt violata gravi.
Hei mihi! quot numerant haec ferrea saecula vulpes,
Quae grave mellito virus ab ore vomunt.

Adde:

At nunc, ô mores! ô tristia tempora! prorsus
Extincta est pietas: nulli largitur avarus
Dives, cum teneat quae tradere plurima possit:
Nulliusque ipsum miseret: sunt ferrea cunctis
Corda; quis exigua mendici nunc stipe casum
Solatur? Lacrimas rident, miserosque precantes.

12.

Ævi perfidia crescit in posteris.

Ætas parentum, pejor avis,
Tulit nos nequiores: mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Vel

Pejores patribus sumus, ut majoribus illi:
In vitium facilis nam, Mariane, sumus.
Natio si nobis fuerit quoque postera pejor:
Pejus erit nostra posteritate nihil.

13.

Alea damnosa.

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,

Quae

Quae monstrant ipsi pueris, traduntque parentes,
Si damnosa Senem juvat alea.

14.
Mediocioribus turpis.

. . . . . . Alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: haec eadem illi (a)
Omnia cum faciant, hilares, nitidique vocantur.
(a.) Puta Divites, Magnates.

15.
Alterius secreta non indaganda.

Percunctatorem fugito. Nam garrulus idem est.
Nec retinent patulae commissa fideliter aures;
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

16.
Amicitiae praetextu fallere, turpe.

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen;
  Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.

Nam

Tutior est hostis, quicumque minatur aperte,
  Praemonito laedit quippe furore minus.
Hunc poteris contra gladio cavisse saluti,
  Promptius atque ictus impediisse leves.
Obscure sed qui latitat, non cominus irae,
  Extulerit tecto signa timenda loco.
Insidiis avide meditatur perdere vitam,
  Nec ratio juris, nec movet ulla fides.
Hos metuat semper vita qui dignus amica,
  Rarius exposcat qui sapit insidias.

17.
Anicularum fraudulentia.

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.

18.
Earumdem garrulitas.

Si non aberro, Cerberum
Vix futilis, loquaculae,
Plenaeque rimis foeminae
Malignitatem censeo
Æquare posse pessimam.
Haec aede si fors prodeat,
Omnes pererrat angulos,
Sibique quaerit garrula
Dicacitate comparem.
Quid murmurando Jupiter
Junoni in aurem dixerit;
Haec illa novit omnia,
Mendaciisque plurima
Conglutinat mendacia
Fraudesque nectit fraudibus:
Probris deinde Candidos
Convitiatur pessimis,
Nullisque quamvis optimis
Parcit scelesta mentibus,
Sed ore semper lividum
Ensem nocivo gestitat.

19.
Astutorum genus.

Hoc hominum genere est nullum sceleratius inter
Mortales, nec Coelicolis odiosius ullum est.

Ava-

20.

Avaritiae falsa commendatio.

. . . . Quippe his crescunt patrimonia fabris.
Et pater ergo animi felices credit avaros.
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat: Juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere sectae.

21.

Avarus semper eget.

Expletur nunquam, nunquam saturatur habendi
  Dira fames; potae plus sitiuntur aquae.
Crescit ut indulgens sibi dirus hydropicus, aestum
  Nec pellit, venis nî quoque causa mali
Fugerit ex tumidis, & aquosus corpore languor;
  Auri sic nitidi crescit avara sitis.
Non tantum curis magnoque labore parantur,
  Sed quoque majori post cumulantur opes.
Quin cumulatarum misera est custodia rerum,
  Angit, ne pereant parta, subinde metus.

22.

Avaritia radix plurimorum malorum.

Est tibi praeterea sitis improba divitiarum
Omnino, & scelerata auri vitanda cupido:
Namque ubi avaritia est, habitant ferme omnia ibidem
Flagitia, impietas, perjuria, furta, rapinae,
Fraudes atque doli, insidiaeque & proditiones,
Jurgia, & infandae caedes, quid singula narrem?
Denique sordidius nil est, nil pejus Avaro.

23.

Est pestis Reipublicae.

Inde fere scelerum caussae, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur saepius ullum

Humanae mentis vitium, quam saeva cupido
Immodici census. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quae reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est umquam properantis Avari.

24.
Et multorum pernicies.

Sed plures nimia congesta pecunia curà
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census,
Quanto Delphinis balaena Britannica major.

25.
Ejus origo est ex infernis.

Nodus Avaritiae non te constringat, ab ipsa
Heu fuge: nam certe nulla est hac major Erinnys;
Hanc memorant Acheronte satam, per tristia Ditis
Regna truces agitare faces, centumque colubris
Colla veneniferis gestare minacia: fauces
Humano expleri nunquam potuere cruore.
Semper hiant, aliosque tenent, aliosque requirunt
Ora cibos: nulli parcit, nec templa Deorum
Dedecorare timet, malum & insatiabile monstrum.
Nascuntur variae hinc pestes, discordia, caedes,
Proditio, rixae, fraudes, jactura pudoris,
Contemtus Divûm, perjuria, jurgia, bellum,
Atque aliae plures quam dicere carmina possint:
Hanc igitur vita: nil quippe nocentius, & nil
Quod magis ostendat vile atque ignobile pectus.
Sic mulier, senior, pueri inveniuntur avari:
Sunt etenim imbelles, fragiles, animique pusilli.

26.
Avarus dives intolerabilis.

Intolerabilius nil est, quam dives Avarus:
Quam stultus locuples, quam fortunatus iniquus:

Aut

Aut igitur pecudum ritu carnalia tantum
Gaudia sectatur, sibi noxius, atque crumenae,
Aut parto nimium parcens, fit Tantalus (a) alter:
Congregat, & nescit cui congreget: utque solet sus,
Non sibi, sed multis aliis sese ipse saginat,
Qui mox decipiant longo cumulata labore.

(a.) Quaerit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

27.
Auri cupiditas.

Aurum omnes utcumque volunt, spes omnis in auro est.
Hinc currit furiosa audax in praelia miles:
Hinc natis, uxore, domo, patriaque relictis
Mercator maris undisoni per caerula vectus
Velivola pinu, extremas procedit ad oras.
Quisque dolis studet, ac furit, ut sibi congerat aurum.
Aurum omnes cupiunt & amant, placet omnibus aurum:
Nec poenas metuunt ullas, ubi vita recessit.

28.
Ejus potentia:

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Concidit Auguris
Argivi domus ob lucrum
Demersa excidio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit aemulos
Reges muneribus. Munera navium
Saevos illaqueant Duces.

Et

Pudor per aurum solvitur;
Violatur auro integritas:

Pax occidit: Fides perit:
Leges & ipsae intercidunt.

29.
Unde.

Aurea nunc vere sunt saecula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Ipse licet venias Musis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

30.
Blandiloquentia suspecta.

Noli homines blando nimium sermone probare;
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Et

Qui te plus solito demulcet carmine blando,
Te capere insidiis nititur ille suis.

Ergo

Mellitum, credas, oratio blanda venenum est:
Verbis sub blandis saeva venena latent.

31.
Carnis adversus mentem pugna.

Namque caro adversus mentem consurgit, & illam
Continuo exercet bello, levis astra petit mens:
At gravis astra caro refugit, terrenaque tantum
Appetit: est etenim terra, in terramque redibit.

32.
Conscius mali semper metuit.

Conscia mens sceleris minimis cito concidit Euris;
Pace vel in media vir timet arma malus.

Pla-

33.

Plane non credere turpe.

Credere turpe nimis nulli; verum omnia cuique
Credere, tam ſtultum, quam nocet illud, erit.

Et

Fide, ſed ante vide; qui fidit, nec bene vidit,
Fallitur; ergo vide, ne capiare fide.
Fide parum; ſed multa vide; nam multa videre
Saepe juvat, multum fidere ſaepe nocet.

Confer *Sect.* *IX.* §. 10.

34.

Culpata non facienda.

Quae culpare ſoles, ea tu ne feceris ipſe:
Turpe eſt Doctori, quum culpa redarguit ipſum.

Ut &

Cum fueris Cenſor, primum te crimine purga,
Nec tua te damnent facta nefanda reum.
Ne tua contemnas, aliena negotia curans;
An tibi te quisquam junctior eſſe poteſt?

35.

Delatorum genus ubique.

Non deerunt autem, referant qui ſingula, plures,
Aut unus ſaltem, fueris quaecumque locutus,
Vel bona vel mala ſint; multus Delator ubique.

Di-

36.
Dives arrogans.

Tantum habet imperii, tantasque pecunia vires,
Ut ſibi nil obſtare diu patiatur; ab alto
Deducit montes, & valles tollit in altum.

37.
Epigramma.

Quidam ſuperbus opibus & faſtu tumens,
Tantumque verbis nobilis
Spernit vigentis clara ſaecli nomina,
Antiqua captans ſtemmata,
Martem, Remumque, & conditorem Romulum,
Primos parentes nuncupans.
His ille Serum veſte contexi jubet,
Hos caelat argento gravi,
Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pegmata.
Credo, quod illi nec pater fuit:
Et mater eſt vere lupa.

38.
Raro religioſus dives.

Cum nos divitiae erigunt ſuperbae,
Et fortuna beat vel otioſos,
Obliviſcimur impii Deorum,
Nec ſors adjuvat indigos ſodales.
Arae thure vacant, foco & decenti,
Nec ventura animus videre caecus
Dignatur: tumidi aut maris procellas.
Securi nimium ſed in profundam
Labuntur foveam, graveſque poenas.
Si fortuna igitur favet ſecunda,

Il-

Illam difcito temperare mente;
Ut prorfus dubiam, & rota volucrem:
Sic pofthac levius feres novercam.

39.
Cum divitiis crefcunt curae.

Crefcentem fequitur cura pecuniam,
Majorum fames. Jure perhorrui
Late confpicuum tollere verticem,
Mecoenas, equitum decus.
Quanto quisque fibi plura negaverit,
A Diis plura feret.

40.
Ebrietatis vires.

Tu fpem reducis mentibus anxiis
Viresque, & addis cornua pauperi,
Poft te nec iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

41.
Et virtutes.

Tu mihi, fancte Pater, mordaces exime curas:
Nubilaque annofo pectora folve mero.
Tu mihi fecuros adige in praecordia fomnos;
Afflatuque juva lumina feffa tuo.

42.
Ejus detestatio.

O foeda Ebrietas, animi lethum: ô vitiorum
Nutrix ac fcelerum! quid non mortalia cogis
Pectora? Quid per te non audent? Jurgia, lites,
Praelia dira moves & gaudes fanguine fufo.

Per te occulta patent, animum linguamque resolvis:
Te fugiunt metus atque pudor. Vitate pudendam
Hanc pestem, ô miseri! quae vos facit esse furentes.
Nonne vides, menti quantum liquor obsit Iacchi?
Quas saepe emittat furias, si plus satis intret
In stomachum merus?
Quippe mero turbati oculi, turbant quoque visum;
Aër praeterea solet ipsos vertere sensus.
Quid memorare opus est, quot morbos, quotque dolores
Dispergat nimius potus per membra, cibusque
Immodicus? scatet hinc, tanquam de fonte perenni,
Febris, & ulcus atrox, scabies, prurigo, podagra,
Articulosque premens manibusque infesta chiragra, *Etc.*
Et modo qui fuerat dives, fit pauper egensque.
Sordidior quaenam? quae bellua vilior est quam
Ebrius? Hic epulas, quas non multo ante voravit,
Evomit.

Vel:

Ebrietas merito mater foecunda malorum
Dicitur, haec etenim parturit omne malum.
Hancce sui-comitatur amor turpisque cupido,
Et Venus illecebris exitiosa suis:
Atque caput vacuum nimio plus gloria tollens:
Arcanique fides prodiga consilii.

43.
Expertes se negotiis offerunt.

Suscipiunt hodie sic res plerumque gerendas,
Qui tumidi verae nil rationis habent.
At caveat rudibus ne quid committat asellis,
Qui bene curatas res volet esse suas.

Fa-

44.
Facinus parit immortale decus.

Non tamen annorum ſeries, non flamma, nec enſis,
Æternum potis eſt hoc abolere nefas.

45.
Fallaci non credendum.

Fallacem quemcumque ſemel cognoveris hoſtem,
Huic poſthac debes non adhibere fidem.

Nam

Quicumque turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.

46.
Famae non ſtatim credendum.

Qui cito confidit vanis ſtultisque ſuſurris,
Fallitur, & culpa non vacat ille gravi.

47.
Fortuna ſtultorum Dea.

O Diva, gratum quae regis Antium,
Praeſens vel imo tollere gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.
Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam aequoris,
Quicunque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus aſper, te profugi Scythae,
Urbesque gentesque; & Latium ferox,

Regumque matres Barbarorum, &
Purpurei metuunt Tyranni.

48.
Aliter Philosophi.

Fortunam insanam esse, & brutam perhibent Philosophi,
Saxique ad instar globosi praedicant esse volubilem:
Quia quo saxum impulerit Fors, eo cadere fortunam autumant.
Caecam ob eam rem esse vocant, quia nil cernat, quo sese applicet.
Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam, quia dignum aut indignum nequeat internoscere.

49
Ignavia debilitat vires.

Exercere etiam corpus mediocriter apto
Tempore conducit multum, viresque reducit.
Segnities robur frangit, longa otia nervos
Debilitant, ignava quies effeminat artus;
Haec illa est Circe, haec Siren, hic hamus iniqui.

50.
Ignavi querela in senectute.

Has ergo insidias, hoc blandum & dulce venenum
Hostis tartarei, quantum potis aufuge cautus:
Ne te poeniteat frustra, quum serior aetas
Sentiet ingenium, famam, rem, membra perisse
Exiguo mellis gustu, & dulcedine inani;
Tunc etenim, ut multi, dices: ô tempora pulchra,
Quam male vos novi! quo fugistis? miserum me!
Si mihi nunc reddat pueriles Juppiter annos,
Et liceat Samios iterum contingere ramos,
Pergam illuc dextro, quo tendit littora cornu:
Sit licet angustus limes, perque ardua surgat.
Talia ab ignavis jactari verba frequenter

Con-

Consuerunt, ubi jam morti vicina Senectus
Expendit sero male ductam examine vitam.

51.
Similis querela.

Ergo, tanta meae cum sint dispendia vitae
  Facta, potest nostram quisque dolere vicem,
Quod non ingenio, quod non profecimus arte,
  Quod mea sit longo mens prope victa situ:
Quod mala subrepens imos ceu pestis in artus
  Irruerit, fracto corpore, segnities;
Nec pote jam lapsae studium revocare juventae,
  Ingenii cum sit tanta ruina mei.

52.
Indoctus raro probus.

Indoctum raro esse probum contingit, & atras
Errorum in tenebras mentem ignorantia trudit.

53.
Ingratitudo vitanda.

Gratior officiis, quo sis mage gratior, esto:
Ne nomen subeas, quod dicunt, Officiperdae. (a)
(a) *Camerarius;*
  Perdere virtutum fructus cum flore juventae,
    Frugisperda salix ne vocitere, cave.

54.
Invidia bonis indignos praefert.

Hi sunt Invidiae nimirum, Regie, mores,
  Praeferat indignos semper ut illa bonis.

55.
Ejus deteſtatio.

Invidia horrendum monſtrum, ſaeviſſima peſtis,
Exitiale malum, quo non violentius ullum:
Virtutem inſequitur, lacerat bene facta, bonosque
Odit, & alterius juſtum indignatur honorem.

56.
Eſt tormentum ſaeviſſimum.

Invidiâ Siculi non invenere Tyranni
Majus tormentum.

57.
Trahit tamen originem à Virtute.

Invidiam Virtus peperit, partamque tuetur:
Ex virtute unum naſcitur hoc vitium.
Hoc Epigramma tibi quaeris cur dedico? dicam:
Sperare invidiam nam tibi jure licet.

58.
Irae periphraſis.

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venae,
Lumina Gorgoneo ſaevius angue micant.

59.
Ejus progreſſus.

. . . . . . Parit ira furorem:
Turpia verba furor: verbis ex turpibus exit
Rixa: ex hac oritur vulnus: de vulnere lethum.

60.
Stultitiae cognata.

. . . . Pronus in iram
Stultorum eſt animus, facile excandeſcit, & audet

Om-

Omne ſcelus, quoties concepta bile tumeſcit:
Tunc ferri ſceleratus amor, rixaeque cruentae
Surgunt, & gelidae dant plurima corpora morti.

Tu dic:

At vindicta bonum vita jucundius ipſa.

Verum:

Nempe hoc indocti, quorum praecordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia cauſſis.
Quantulacunque adeo eſt occaſio, ſufficit irae.

Ergo cavenda:

Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum ne poſſit cernere verum.

Nedum ſopita refricanda.

Litis praeteritae noli maledicta referre:
Poſt inimicitias iram meminiſſe malorum eſt.

61.

Iratus ipſe ſibi hoſtis.

Ipſa ſibi eſt hoſtis veſania, ſeque furendo
Interimit, moriturque ſuis ira ignea telis.

62.

Et degener homo.

Non homo, ſed canis eſt, leo, ſerpens, beſtia quaevis,
Iracundus homo, pectore ſaeva gerens.

63.

Mens generoſa placabilis irae.

Quo quisque eſt major, magis eſt placabilis irae,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Vel:

Vel:

Quo tu major, eo magis & placabilis esto:
Parcito sic aliis, ut Deus ipse tibi.

64.
Laus propria sordet.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

65.
Laetitia in alterius aerumnis.

O fuge laetitiam, nec pectore concipe, turpem,
Lapsus in aerumnas cum tuus hostis erit.

66.
Livor.

Livor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas.

Et

Livor edax hominum vivorum encomia carpit:
Ut defunctorum corpora vermis edit.

67.
In Loquacitatem.

Αχαλίνων στόμα τὸ τέλος δυστυχία
Finis Loquacitatis infortunium.

68.
Loquaci non semper credendum.

Noli tu quaedam referenti credere semper:
Exigua iis tribuenda fides, qui multa loquuntur.

SECT. X.

69.

Lucri aviditas.

. . . . Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet. Illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, Diis atque ipſo Jove digna, Poëtae: (a.)
Unde habeas quaerit nemo, ſed oportet habere.

(a.) Eſt hic verſus ex *Ennio*, qui hoc ironice dixit, avaritiam perſtringens.

70.

Lupanarium illecebrae.

Si veterum libros, & Patrum ſcripta revolvas,
Si doleas ſanctos ſic cecidiſſe Viros;
Nec docto Salomone quidem tu doctior eſſe,
Nec David ſancto ſanctior eſſe potes.
Si Loth, Samſonem, ſi David, ſi Salomonem
Foemina dejecit; quis modo tutus erit?

71.

Eorum exitus.

. . . . Meretrix meum herum
Miſerum ſua blanditie intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore atque amicis.

72.

Luxuriei periphraſis.

Luxuries praedulce malum, quae dedita ſemper
Corporis arbitriis, hebetat caligine ſenſus,
Membraque Circeis effoeminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, ſed qua non tetrior ulla
Interius, fucata genis, & amicta doloſis
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros,
Illa voluptatum multos intexuit hamos.

73.
Ejus aversio.

Quid magis aversum est à relligione severa,
Mancipio quam se dedere luxuriae.

74.
Non contenta modico.

. . . . O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quaesitorum terrâ pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, & lautae gloria mensae.

75.
Luxuriosorum exitus.

Cantharidum Rosa mors, sic luxus deliciaeque
Enervant animos eripiuntque virûm.

Et

Hinc variae insurgunt febres, hinc scrupeus humor
Insidias manibus pedibusque affligit inertes.

76.
Luxuria senectuti foedissima.

Non praematuri cineres, nec funus acerbum
Luxuriae, sed morte magis metuenda Senectus.

Nam

Ut laudanda Senis probitas; ita foeda Senectus
Culpanda est, turpi quae maculata probro.

77.
Malus semel, semper malus.

Qui semel ingenio conceperit esse dolosus,
Deseret haud subito proditionis iter.

Pi-

Piſtillo reprobus ſi contundatur aheno,
Non tamen inſidias exuet ille ſuas.

Nam

Quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Ejectum ſemel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum eſt, quem tu contentum videris uno
Flagitio?
Aut cum perfricuit frontem, poſuitque pudorem.

78.
Mercatoris perjuria.

Perjurata ſuo poſtponit Numina lucro
Mercator, Stygiis non niſi dignus aquis.

79.
Meretricis periphraſis.

Stat Meretrix certo cuivis mercabilis aere;
Et miſeras juſſo corpore quaerit opes.

80.
Ejus lacrymae fallaces.

Nota refert meretricis acumina, ſaepe catellum,
Saepe periſcelidem raptam ſibi flentis: uti mox
Nulla fides damnis veriſque doloribus adſit.

Vel

Quid cum mendaci damno moeſtiſſima plorat?
Elapſusque cava fingitur aure lapis.

81.
Meretricis pretium nimium.

Formoſiſſima Lai foeminarum,
Dum noctis pretium tibi requiro;

Magnum continuo petis talentum;
Tanti non emo, Lai, poenitere.

82.

Militum perfidia.

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.
Qui castra militaria
Exercitusque bellicos
Sequuntur, hos blasphemias
Minasque crudelissimas
Exercitare convenit.
Hoc asseverant symbolon
Virilis esse pectoris;
Signumque fortitudinis.

83.

Et mendacia.

Mentiris! Tu militibus ne dixeris umquam;
Majus eo nullum dedecus esse putant.
Mentiris, tantum qui dedecus esse putatis,
Mentiri quare creditis esse decus?

84.

Minarum strepitus, asinorum crepitus.

Quid crepitus asini, strepitusque nocere minarum
Possunt? ô miser es, si moriere minis.

Vel

Si moriere minis, asini tumulabere bombis.

85.

Mutatio subita periculosa.

Natura magnum nihil voluit fieri cito.
Caecos parit catellos festinans canis.

Fa-

Factum satis cito, quod factum est bene:
Fortuna quem raptim effert, raptim destruit.
Obliviosa nec sat sui compos est festinatio:
Quo magis es festinus, hoc rem tardius perficis.
Clarius quo fulsit ignis, citius hoc extinguitur:
Esse non potest celebre, quod celeriter nascitur.

86.

Otii damnum.

Cernis ut ignavum corrumpant Otia corpus,
Ut capiunt vitium, nî moveantur aquae.

Quippe

Otium enim fomes vitiorum est; Otia mentem
Ad mala multa trahunt; Otî comes ipsa libido est.
Otia felices evertunt funditus urbes.

Conf. Supr. sub Ignavia.

87.

In Parasitum.

Scaevola, tu coenas apud omnes, nullus apud te:
Alterius siccas pocula, nemo tua.
Aut tu redde vices, aut desine velle vocari;
Dedecus est semper sumere, nilque dare.

88.

Quibus contumeliis Parasitus sit obnoxius.

Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre
Si potes, & debes: pulsandum vertice raso
Praebebis aliquando caput, nec dura timebis
Flagra pati; his epulis, & tali dignus amico.

89.
Perjurus Deum precatur ultorem.

Eſt alius metuens, ne crimen poena ſequatur;
Hic putat eſſe Deos, & pejerat, atque ita ſecum:
Decernat quodcunque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,
Dummodo vel caecus teneam, quos abnego nummos.

Nam

Ah miſer! & ſi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

90.
Philautia.

Omnia ſe tamen ille putat bene noſcere ad unguem
Garrulus, infelix, caecus, temerarius, amens.
Stultitiae fons eſt, & origo Philautia veſtrae;
Caligo ingenii, quae vos cognoſcere verum
Poſſe vetat; tolle hanc, oculi meliora videbunt:
Et quae nunc bona prima putas, fortaſſe negabis
Eſſe bona: & quae nunc credis mala maxima, forſan
Non mala ſunt, dices, pulſis à corde tenebris.

91.
Ejus deteſtatio.

Non mihi ſcribendi veniat tam dira libido,
Ut mea cõntemto judice ſolus amem.
Non haec antiquos tenuit fiducia Vates:
Ingenio timuit credere quisque ſuo.
Ah valeat, ſibi qui parcit, ſeque & ſua ſolus
Æſtimat, atque odio verba monentis habet.
Ipſe ſibi plauſum geminet, nectatque coronam,
Et medio Pindi det ſibi monte locum:

Invi-

Invidiamque vocet, quam non nisi summa merentur,
   Incultum si quis damnat, & odit opus.
Saepe suis illum videas superesse libellis,
   Saepe etiam famae funera flere suae.

92.
Prodigalitas.

. . . . Nam si
Prodigus es, mensam alterius pinguemque culinam
Jejunus frustra aspicies, patrimonia postquam
Absumpta, & nimio fuerint deperdita luxu.
Inter utrumque manet virtus; extrema relinque,
Et cui fas, quantumque licet, largire: nec ultra
Impensam facias, quam sit permissa facultas.

93.
Promissis dives.

Sic Orbis usus obtinet,
Stylusque nostrae Curiae:
Spondere montes aureos,
Et pauculos arenulae
Pulvisculos exsolvere;
Grandes equos promittere,
Pullumque aselli reddere.
Sic fallit hospes hospitem,
Et venditorem venditor;
Sic servus herum decipit,
Herusque ludit servulum.
Sic garriunt in taleam,
Qui verbulis ditissimi,
Factisque sunt pauperrimi;
Queis usitatum est dicere:
„ Est polliceri Nobilis,
„ Servare pacta Rustici.

à Ri-

94.
à Risu nimio abstinendum.

In coetu laxes ne turpiter ora cachinnis:
Sed quum opus est, parco moderatoque utere risu.
Nempe est invalidae mentis, capitisque minuti
Indicium ridere nimis: contra esse severum
Semper, inhumani est animi; fuge cautus utrumque,
Atque tene medium: medio sedet inclyta virtus.

95.
Sceleratorum audacia unde.

. . . . Multi
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic Diadema.
Sic animum dirae trepidum formidine culpae
Confirmant, tunc te sacra ad delubra vocantem
Praecedit, trahere immo ultro, ac vexare paratus.
Nam cum magna malae superest audacia caussae,
Creditur à multis fiducia.

96.
Scelerati virtutem in vitium, & contra, vertunt.

Qui facere assuerat, patriae non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

97.
Nemo repente turpissimus.

Nemo repente fuit turpissimus. Accipient te
Paullatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & toto posuere monilia collo.

98.
Contra

Nemo repente bonus, lente properare memento;
Virtutis quamvis ingrediare viam,

Uti-

Utile consilium fit inutile festinanti.
  Collige primo animum, corrige deinde, tuum.

99.
Scelerati quaerunt tenebras.

Sic fures etiam faciunt, omnesque scelesti
Oderunt lucem, ac tenebris laetantur opacis,
Ut sua non possint furta & male facta videri.

100.
Et murmuris ac susurris se assuescunt.

Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, haec clare & ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum, & sub lingua murmurat: . . . .

101.
Somnolentia nocet.

Musa vetat puerum suaveis producere somnos,
  Ac studio lucis tempora prima capit.
Sufficiat tantum noctu repetisse quietis,
  Quantum opera & studiis evigilare soles.
Nam veluti pluviis nimium si perfluat hortus,
  Terra negat fructus imbribus aucta suos:
Sic magis irriguum somno caput atque decebat,
  Pieridum ingenio semina jacta fluunt.

102.
Stolidus sibi sapit, & placet.

Sic homines stolidi falluntur imagine veri,
  Dum sibi quisque sapit, & sibi quisque placet.

Conf. supr. §. Philautia.

103.

Stultorum cur tanta turba.

. . . . . Stultorum maxima turba eſt.
Quis neſcit? Gaudet ſtultis natura creandis.

104.

Cum Stultis non contendendum.

Contra verboſos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi ſapientia paucis.

105.

Superbia vitanda.

Sed tibi non minus eſt vitanda Superbia, mater
Rixae odiique, urbes ſtudia in contraria ſcindens,
Excidiumque ferens multis. Hac peſte laborans
Olim Roma ruit, civili oppreſſa furore.
Hoc fuge tartareum monſtrum, ſi quaeris amicus
Eſſe Dei, & tandem coelo poſt fata potiri.
Nemo ſuperbus amat Superos, nec amatur ab illis:
Vult humiles Deus ac mites, habitatque libenter
Manſuetos animos procul ambitione remotos.
Inflatos vero ac ventoſos deprimit Idem,
Nec patitur ſecum puro conſiſtere Olympo.

Unde:

Si tibi nobilitas, ſapientia, formaque detur;
Deſtruit omnia ſola Superbia, ſi comitetur.

106.

Temeritatis vitium.

Non habet eventus placidos temeraria virtus.

Titu-

SECT. X.

107.
Titulorum arrogantia.

. . . . . Proh Dii! nunc nomina tantum
Magnifica, & claros Titulos ſibi quilibet optat,
Arrogat, affectat, ſequitur, rapit: ut merito jam
Et ſe aſinus Pardum vocet, & formica Leonem.

108.
Eorum vanitas.

Quid Tituli illuſtres, praeclaraque Nomina proſunt,
Quae cito mors rapit, & lethaeas mergit in undas?
Laudari à vulgo cupitis, vulgoque placere:
Dicite, judicii quid habet plebecula veri?
Vos putat eſſe Deos: quid tum? quum ſitis aſelli,
Humana exterius tantum apparente figura.

109.
Ne nimium trepides.

Prudens futuri temporis exilium
Caliginoſa nocte premit Deus:
Ridetque ſi mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adeſt, memento
Componere aequus: caetera fluminis
Ritu feruntur.

Vel

Neu trepides nimium, quod adeſt, curare memento:
Namque Deus caeca nocte futura premit.
Tempore praeſenti vivis: praeſentia cernis;
Fluminis at ritu caetera cuncta fluunt.

110.
Vanis ne gaudeas.

Insomnii cupit sic
Umbram, leves & auras,
Sonum cupit sagittae,
Quae non relinquit ullam
Viae notam peractae.
Sonum petit manus quem
Plaudens solet movere.

111.
Vindicta est minuti & infirmi animi.

Prima docet rectum Sapientia: quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio; continuo sic collige, Quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam Femina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

112.
Voluptas perniciosa.

Nulla Voluptate est res perniciosior: aufert
Consilium, mentemque premit, virtutibus obstat:
Corrumpit mores, vitiorum maxima nutrix:
Debilitat corpus, sensus obtundit: amaro
Fine nocens, homini multorum causa malorum est.
Nil magis adversum est virtuti: tendere sursum
Nititur assidue cognata ad sidera Virtus:
Contra inimica Polo, semper petit ima Voluptas.
Non tantum Libicae Syrtes; vel tecta nefandi
Antiphatae, vel Scylla vorax, vel saeva Charybdis,
Vel quodcunque aliud, quantum est fugienda Voluptas.

SECT. X.

Ergo

Vis fieri felix, eſt debellanda Voluptas:
Haec Juvenum exitium eſt, peſtis & illa Senum.

113.
Famae inimica.

Si famam ſervare cupis, dum vivis, honeſtam,
Fac fugias animo quae ſunt mala gaudia vitae.





SECT. XI.

De MATRIMONIO.

Matrimonii Institutor

DEUS.

HÆc gentis humanae ſacra incunabula
Ne beſtiarum more (namque & hae genus
Suum propagant) per libidines vagas
Turbentur, & connubiis promiſcuis:
Connubii Inſtitutor atque Auctor DEUS
Providit, una carne binos copulans,
Maremque, foeminamque, coſtae traducem.
Neu ſeparare tentet illud, quod Deus
Conjunxit, ullo tempore; hanc legem tulit:
Sola eſſe morte vinculum hoc ſolubile.

§. I.

Quisque commendat, quod placet.

Vae ſoli, ſapiens Rex non ſine conjuge dixit;
Nil melius vita coelibe, Paulus ait.

2.

Amare omnibus innatum.

Nempe amor eſt dulcis: . . .
Cujus qui nunquam eſt expertus tela, vocari
Jure poteſt ſenſus expers: nam bellua quae non
Igne cupidineo flagrat? Certe omnia, quamvis

Vilia

Vilia & exigua; has norunt animalia curas,
Sic ſtatuente Deo: quare, qui quaerit Amorem,
Rem quaerit Divinam.

3.
Pro Coelibatu.

Sed forſan multi dubitent an coelibe vita
Conjugium melius: namque uxor ſaepe ſuperba eſt,
Litigioſa, ferox, demens, & adultera ſaepe.
Adde, quod & gravis eſt natorum ſollicitudo:
Nunc morbo ancipiti languent, nunc lumina vitae
Intempeſtivo ſublati funere linquunt.
Filia jam grandis poſcit cum dote maritum:
Vel moecha eſt, maculatque domum: vel filius eſt fur,
Scortator, vacui capitis, rixoſus & effrons.
Ille etiam penitus liber non eſſe videtur
Cuicunque eſt uxor, mores mutare neceſſe eſt,
Et juvenilem animum compeſcere.

4.
Litigium Domeſticum.

Arma virumque docens, atque arma virumque peritus,
  Non duxi uxorem, ſed magis arma, domum.
Namque dies totos, totasque ex ordine noctes
  Litibus oppugnat meque, meumque larem.
Atque ut perpetuis dotata à Marte duellis,
  Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Jamque repugnanti dedam me: ut denique victum
  Jurget ob hoc ſolum, jurgia quod fugiam.

5.
Eſt virgo virga marito.

Discipulos ut virga novos, ſic virgo maritos
  Caſtigat. Pueros haec domat, illa Viros.

Ergo

Ergo, vis animum juvenis mollire ferocem,
Des illi uxorem, mox velut agnus erit.

6.
Sapiens gaudet Coelibatu.

. . . . At Sapiens laetetur coelibe vita;
Sit castus, purusque, & mente & corpore; nam, qui
Exiguo & raro victu contentus, ab omni
Abstinuit venere, orando assidueque, pieque,
Et contemplando, mentem ad coelestia tollens,
Ille Deum crebro visu & sermone fruetur,
Et felix fiet, prospectabitque futura.
Candida virginitas res est gratissima Divis.

7.
Pro Matrimonio.

Quod vero Deus instituit, damnabile non est.
Quid de illis igitur dicam, qui coelibe vita
Contenti, dulces non curant gignere natos,
Sed steriles obeunt radicitus, & moriendo
Post cineres non ulla sui monumenta relinquunt?
Hi peccant certe, &, si verum dicere fas est,
Nascitur indigne, per quem non nascitur alter:
Indigne vivit, per quem non vivit & alter.

8.
Malae uxoris periphrasis.

Cum gravis illa viro, tunc orba tigride pejor,
Cum simulat gemitus occulti conscia facti.
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Uberibus semper lacrymis.

Sapi-

9.

Sapienter amandum.

Ergo iterum, atque iterum videas (ſi forte licebit)
Quae ſit, quam tibi vis vinclo ſociare jugali,
Ne fruſtra doleas, nec facti poeniteat te;
Praecipue matris mores adverte, patriſque;
Nam ſimiles fiunt nati plerumque parentum:
Qualis quaeque arbos, tales ſolet edere fructus.
Conſule vicinas clam, vel tibi ſi qua fidelis
Eſt mulier, mitte ut videat, ſed diſſimulanter,
An ſit formoſa, an vitiato corpore & aegro,
An ſit iners, nec nere ſciat, nec texere telam,
Nec ſuere; haec etenim mulier quaecunque pudica
Exercet; ne ignava domi, neu languida ceſſet.

10.

Non propter divitias quaerenda uxor.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
  Quaeritis? Uxori nubere nolo meae.

11.

Non ob ſolam formam.

Quae tanti gravitas, quae forma, ut ſe tibi ſemper
Imputet? hujus enim rari ſummique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta ſuperbo
Plus aloës quam mellis habet.

Conf. Sect. IV. §. 18.

12.

Formoſae puellae periphraſis.

O Phylli, ô Veneris per te regnantis imago:
  O laus virginei, deliciaeque chori!

Candida te decorant facies, rubicundaque labra,
Et quae de labris mollia verba fluunt.
Te decorant oculi ſplendentes lumine puro,
Te coma, te cervix delicioſa decet.
Quid ſupereſt? Ornat nil non laudabile totam;
Hei mihi, quam forma paene ſuperba tua es!

13.
Vera formoſitas, quae.

Quae mens eſt ſceleris conſcia nullius,
Sed morum nivea fulget imagine,
Virtutisque terit ſedula ſemitam,
Immortale gerit decus.
Haec, Phylli, exſuperat purpureas genas.
Haec longe exſuperat labra corallina,
Atque aſtris oculos oebaliis pares,
Et frontis tenerae nives.
Quicquid corpus habet, deficit indies,
Et vanae ſpecies praetereunt pede
Veloci. Haud ſapiat, qui breve gaudium
Longis anteferat bonis.
Sed nil gratius eſt, nil ſpecioſius,
Quam ſi forma decens, quae tibi contigit,
Et virtus propriis freta coloribus
Incedunt parili gradu.

14.
Nimis docta non ducenda.

Non habeat matrona, tibi quae juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curvum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omneis.
. . . . Odi
Hanc ego, quae repetit, volvitque Palaemonis artem
Servata ſemper lege, & ratione loquendi,

Igno-

Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicae castigat amicae
Verba. Soloecismum liceat fecisse maritum.

15.

Seni haud convenit Puella.

Quintius indomitam quod duxerit, Aule, juvencam,
  Condis in insanum cur Epigramma senem?
Convenientius huic Epicedion esset amanti
  Amenti; effodit jam taphon ipse sibi.

16.

Nec senex puellae.

Flos fueram factus, florem fortuna fefellit,
  Florentem florem florida Flora fleat.

17.

Processus jocosus inter Puellam, actricem, & Senem, reum.

P. Solvito, quod debes. S. Vah est mihi curta supellex!
  Non sum solvendo. P. Cede repente bonis.
S. Ultra posse vetant constringi jura maritum.
  P. Ad peram & saccum discutiendus eris.
S. Appello. P. Persona tibi non competit apta
  Standi in judicio; lis tibi pendet iners,
Procurator agat causam. S. Sententia dura
  Scripta tamen: tacitus fata ferenda feram.

18.

Nec Ebriosus.

Ducturum uxorem memini, te, Prote, minatum;
  Ebrius uxorem ducere nemo potest.
Uxori nubas potius, quae sobria potum
  Ducere te noctu possit ab urbe domum.

19.

Nec venationi nimium deditus.

Si potes invita toties secedere Gallâ,
  Densaque nexilibus claudere lustra plagis,
Et longas perferre nives & frigora noctis,
  Asperaque hiberni flabra subire Noti;
Ah pereant acresque canes, & retia, & arcus,
  Et quae Mygdonia tela geris pharetra.
Nec tibi sit tanti vastos indagine saltus
  Cingere, & obsessas exsuperare feras,
Ut sine te viduo conjux cubet anxia lecto,
  Et metuat fati mille pericla tui.

20.

Idea optimae foeminae.

Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, docens, dives, facunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni,
Crinibus effusis, bellum dirimente Sabina:
Rara avis in terris, nigroque simillina cycno.

21.

Carmen nuptiale Alphabeticum ejusdem argumenti.

Quae tibi perplaceat Virgo docet inclyta Sponsa:
  Scilicet, haud placuit, dulcis Amice, tibi:
Aspera, Balba, Carens, Delirans, Ebria, Fallax,
  Grandiloquens, Hiscens, Insidiosa, Latrans,
Muta, Nocens, Otiosa, Putris, Quadrata, Rebellans,
  Sordida, Tetra, Vetus, non tibi virgo placet.
Sed placuit tibi, Sponse, Alacris, Bona, Casta, Decora,
  Eximia, & Facilis, Gratior, ac Hilaris,
Integra, Laetificans, Mansueta, Nitens, Opulenta,
  Pulchra, Quieta, Recens, Splendida, Tuta, Vigil.

Cum

Cum qua permultos vivas feliciter annos,
Ut libet, atque licet, det Deus, oro, tibi.

22.

Uxor prodiga.

Prodiga non ſentit pereuntem femina cenſum:
At velut exhauſta redivivus pullulet arca
Nummus, & à pleno tollatur ſemper acervo,
Non unquam reputat; quanti ſibi gaudia conſtent.

23.

Malae imperare difficile.

Bellua manſueſcit crudelis; foemina numquam:
Res deſperata eſt velle domare malam.

24.

Conjux pia.

. . . . De conjuge caſto
Conveniente toro mihi proſpicis (*Deus*); haud opulenta,
Haud quoque formoſa; ſed quam mage plurima virtus,
Cognitio veri, & reverentia Numinis ornet.

25.

In Sponſalia, exordium.

Dicta dies fulſit: veniunt ad foedus Amantes:
Juratam thalami dantque petuntque fidem.
Ite Dionaei, genialia Numina, fratres,
Sertaque formoſis myrtea ferte comis.
Ite: ſonent arcus, delectaque tela pharetris
Spargite: ſolemnes ventilet aura faces:
Et choreis locus eſt. Rubro patet area prato.
Ite licet: pulſo ter ſonet icta pede.

Vos illuc festivus Hymen, vos pronuba Juno
Evocat, & testes foederis esse jubet.

26.
Votum Nuptiale.

Felices animae, queis tantis Numina firmant
Ominibus pactam pignoribusque fidem!
Vivite concordes, & quae modo vota canendo
Dicimus, in myrti cortice scribat Amor.
Vivite: quosque dabunt haec olim foedera natos,
In spem perpetuae posteritatis eant.





SECT. XII.

De LIBERIS.

Quisquis in vita ſua Parentes colit,
Hic & vivus & defunctus Diis charus eſt.

§. I.

Liberorum pietas erga parentes.

CLarior haud natos ſequitur laus ulla, parentes
Quam ſi dilectos debito honore colant.
Hos coeleſtis enim ſequitur benedictio Patris,
Hisque datur fato proſperiore frui.
Cum ſibi jam mortem ſentiret adeſſe Tobias,
Haec charo nato tum documenta dedit:
Hoc, fili, cures, ut toto tempore vitae
Afficias matrem gratus ubique tuam.
Hinc Salomon ſolio ſurrexit protinus alto,
Ad ſe cum matrem cerneret ire ſuam.
Omnibus in rebus naturae hoc lexque requirit,
Omnia diſponens haec jubet atque Deus.

Ergo

Qui cupis eſſe Senex, caros venerare Parentes:
Quae patri facies, filius illa tibi.

2.

Æqua diligito caros pietate Parentes.

Nihil eſt tam honorificum liberis,
Quam bono & honeſto genitore eſſe natos,

Et

Et debitum honorem parentibus offerre.
Nihil eſt genitrici ſua prole ſuavius:
Amate Matrem, ô Liberi! Non enim eſt amor
Ullus hujusmodi, & qui ſuavius ametur.

3.
Ingrati rite exhaeredantur.

Bis ſeptem cauſſis non haeres gnatus habetur:
Si verbis laedat, verberibusque patrem;
Indicet aut crimen; vitam eripiatque veneno;
Cum nocet, inſani cura nec ulla manet;
Addiderit ſi ſe pravis; foedetque cubile;
Haudque fidem ponat pro patre, nec redimat;
Teſtantique obſit, ſi mimis turpibus adſit:
Filia ſi meretrix; ſi probet haereticos.

4.
Parricidarum poena.

Conferat artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.

Nam

Dii te ſubmoveant, ô noſtri infamia ſecli,
Orbe ſuo, tellusque tibi, pontusque negetur.

5.
Liberorum educatio.

Permagnique refert etiam, quos quisque parentes
Accipiat, quo ſit pacto nutritus, & à quo
Inſtructus, nam quos mores puer adbibit, & quas
Artes à teneris didicit, retinebit adultus:
Illa diu durant, animisque tenaciter haerent,
Quaecunque à primis naſcentes hauſimus annis.

Nam

Nam

Qualiter in primis Adolescens vixerit annis,
Talem praebebit curva senecta patrem.

6.

Natura patrum transit in liberos..

Natura patrum transit in propaginem
Ut planta naturam refert
Et indolem telluris, è qua prodiit:
Sed auget educatio
Fidelis hoc quod insitum fuit boni,
Mores & emollit feros.
Sic spes parentum crescit in longum decus,
Ut arbor ad ripam viret
Latura fructum posteris nepotibus.
Sic filius vincit patrem.

7.

Unde artibus instruendi sunt Liberi.

Credat juventus: pulchra res est liberis
Coluisse pectus artibus.
Tellus aratro non subacta rustico
Herbas inutiles creat:
Sic destitutum pectus humanum suo
Cultu nihil producere
Potest decente praepolitum industria:
Sed impetu caeco ruit
Quo raptat ardor efferae cupidinis.
Majore cura nil eget,
Majore nil labore, quam primo vigens
In flore, pueritiae chorus.
Hic sedulo fingendus est instar luti,
Acrique tornandus rota.

8.

In primis autem parentes liberis suis bono sint exemplo.

Si Proceres peccant, si peccavere Parentes,
  Exemplo & sceleri poena paranda duplex.
Saepe patris mores imitatur filius infans;
  Qualis erat mater, filia talis erat.
Casta refert castae Genitricis filia mores,
  Lascivae nunquam filia casta fuit.
Et verbo & facto parvis sit regula natis,
  Optima sitque omni tempore norma pater.
Altera natura est habitus; quam junior artem
  Perdisces, tollet nulla senecta tibi.

9.

Matris viduae officium in educandis liberis.

Mater ut officium rapti Genitoris adaequet:
Illa igitur curas cari de pignore lecti
Sollicitas agitans, viduos solatur amores,
Praesentemque virum fingit sibi prole relicta.
Hanc monet, hortatur, castigat, praemia ponit.
Et patris exemplo, puerili in corde latentes
Suscitat igniculos virtutum, & semina veri.



SECT. XIII.

De SENECTUTE.

Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti Senectae
Afferet, indomitaeque morti.

§. I.

Senectutis periphrasis.

TEmpus erit, quum tetra genis horrescere barba
Incipiet, faciem crispantibus undique rugis,
Canitiesque premet laudatos foeda capillos.
Tunc frustra amissum lugebis, Stulte, decorem
Ipsum te quoties speculo referente videbis.

2.

Ejus incommoda.

Obrepit canis rugosa Senecta capillis,
Secum multa trahens incommoda corporis, atque
Mentis; nam vires abeunt, speciesque colorque;
Nec non deficiunt sensus: audire, videre
Languescunt, gustusque minor fit: denique semper
Aut hoc, aut illo morbo vexantur: inermi
Manduntur vix ore cibi, vix crura bacillo
Sustentata meant: animus quoque vulnera sentit,
Desipit, & longo torpet confectus ab aevo.

3.

Senes plerumque tristes.

Rapiamus amici
Occasionem de die:
Dumque virent genua
Et decet, obductâ solvatur fronte Senectus.

4.

Et pueriles.

Quum sapias animo, noli ridere Senectam:
Nam quicunque senex, puerilis sensus in illo est.

5.

Et imperii expertes.

Stat dubius, tremulusque Senex, semperque malorum
Credulus, & stultus, quae facit ipse, timet.
Laudat praeteritos, praesentes despicit annos,
Hoc tantum rectum, quod facit ipse, tenet.

6.

Reverentia Senectuti debita.

Ante senes juvenem cultus, reverentiaque ornant,
Utque verecundus sit pietate, decet.
Est cani capitis fructus reverenter amari,
Contemptuque putat tristius esse nihil.
Utque Noto, & pluviis laedentibus apta viator
Cum madet, exceptus, tecta subire cupit:
Sic honor est Senibus requies, solamen habere
Id poscunt, mortem lenius atque ferunt.

7.

Votum quietae Senectutis.

Dum mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba Senecta comas:

Et


SECT. XIII.

Et subeunt anni fragiles, & inertior aetas:
  Atque parum firmo me mihi ferre grave est.
Sit mihimet, posito ut possim nunc sine laborum
  Vivere, me nullo sollicitante metu.
Quaeque meae semper placuerunt otia menti
  Carpere; & in studiis molliter esse meis.

. . . . . .

Sic animo quondam, non divinante futura,
  Optabam placide vivere posse Senex.





SECT. XIV.

DE MORTE.

Vertitur in terram terra nutritus & aura,
Sit Rex ille potens, sive colonus inops.

§. I.
Moribundus.

IN vultu color est sine sanguine, lumina moestis
Stant immota genis, nihil est in imagine vivum.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, & venae desistunt posse moveri,
Nec flecti cervix, nec brachia reddere motus.

2.
Vide mori, & disce mori.

Felicem egregiumque illum, qui vixit in horas,
Quemque juvat laeto dicere corde, Fui!
Spiramenta animae si cui cum corpore rumpi
Forte vides, morti te quoque junge tuae.
Volvuntur, passimque vices, Juvenumque Senumque
Debita, lege pari, sunt tua fata tibi.
Semita calcanda est eadem: mors omnibus una:
Subduci pensis non sinit illa suis.
Natales, lux ipsa, suos, sua funera novit:
Æquali miseris stamine vita ruit.

Omni-

3.

Omnibus moriendum.

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub dio morêris,
Victima nil miserantis orci.

Et

Tendimus huc omnes. Metam properamus ad unam,
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

4.

Etiam Magnatibus.

I nunc, regna para, fastusque attolle superbos
Mors etiam magnos obruit atra Deos.
Nil juvat ingentes habitare palatia Reges
Conditio miseros haec eademque manet.
Mors aequat cunctos, opibus nec parcit in horam,
Verbaque dum volitant, ocyus illa venit.
Heu, leviter ventus pellit nos omnis inermes,
Concidimus citius, quam levat aura rosas.

5.

Coemeterii inscriptio.

Est ubi nobilitas, honor, atque potentia Mundi?
Hîc formâ vultus conspicis esse pares:
Ecce, quis hîc pauper? quis dives jure vocandus?
Quaelibet ossa satis ossibus aequa vides.
Heu! breve vita bonum nihil est, nisi luctus & angor,
Praemia Coelicolûm, qui bene vixit, habet.

6.

In Croesum & Diogenem epigramma.

Effigiem, Rex Croese, tuam ditissime regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.

Con-

Conſtitit utque procul: ſolito majore cachinno
Concuſſus, dixit: Quid tibi divitiae
Nunc proſunt, regum Rex ô ditiſſime, quum ſis
Sicut ego ſolus, me quoque pauperior?
Nam quaecumque habui, mecum fero: quum nihil ipſe
Ex tantis tecum, Croeſe, feras opibus.

7.

Juvenes poſſunt, Senes debent mori.

Tu nuper Juvenis fueras, ego dum Puer eſſem:
Quae me nunc Juvenem, te videt hora Senem.
Exſpectat mors ergo brevi te, meque Senectus;
Sors incerta licet ſit mea, certa tua eſt.

8.

Mens & Virtus ſola immortalis.

Praeter Virtutem nihil immortale tenemus;
Mens manet & virtus: caetera mortis erunt.

9.

Mors beatorum.

Cum vero elapſus mortali carcere abibit
Spiritus, abducens ſecum haec tria, quae ſibi ſemper
Propria ſunt, Mentem, Senſum, Motum, aetheris oras
Exultans petet, & felix perfecte erit illic:
Quippe habitans cum Diis, Deus efficietur & ipſe.

10.

Perfectio ſumma.

Uniuscujusque rei perfectio ſumma
Eſt, ad principium poſſe redire ſuum.
Tunc igitur perfectus homo ſummeque beatus,
In coelum & terram quando revertar, ero.

Nec

SECT. XIV.

11.

Nec metuenda.

Est ne adeo miserum moriendo linquere mundi
Stultitiam, & sese innumeris auferre periclis;
Proque tot aerumnis tranquillam acquirere pacem?

12.

Sed

Qui bene praeteritos sine labe peregerit annos,
Non horret mortis vulnera dira pati.
Formidanda malis sequitur quam poena perennis;
At contra felix mors solet esse bonis.

13.

Solatium in aerumnis.

Vir bonus & sapiens audebit dicere: Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum. Tollas licet. In manicis &
Compedibus saevo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simulatque velim, me solvet. Opinor,
Hoc sentit: Moriar. Mors ultima linea rerum est.

14.

Ægrotantis suspiria.

Magne Opifex rerum, qui comples nûmine cuncta,
Et regis arbitrio nostraque nosque tuo,
Ecce toro adfixus jaceo, morbisque fatigor
Infelix, miseris excruciorque modis.
Nec spes ulla mihi superest: nil proficit herba,
Nil prosunt medica pocula mista manu.
Ni recrees me lethifero languore solutum,
Jam properat vitae terminus, ecce meae.

Nec tantum capior lucis vitalis amore,
  Quam dolor assiduus, quam mala semper habent,
Quantum admissa movent me crimina. Torqueor illis,
  Mensque mihi multo fracta dolore cadit
O quoties; lacrimas verba inter singula fundens,
  Auxilium imploro, saepe vocate, Tuum?
O quoties, lapsae dum vitae anteacta recordor,
  Purpureus nobis inficit ora pudor!
Quis mihi portus erit, mediis dum jactor in undis
  Naufragus, infestis mox rapiendus aquis:
Si me non recipis, si non tua brachia tendis,
  Nec me clementi respicis ore reum?
Mitis ades, solitoque mei miserere favore,
  Et, quod mole sua me premit, aufer onus.
Tunc celsum celeri subvectus ad aethera penna,
  O Deus, aeternis te resonabo modis.

15.

Ultima verba bene morientis.

Illecebrae mundi, & specie mellita serena
  Gaudia, quîs optat vulgus inane frui;
Illecebrae mundi, longum longumque valete:
  Nil mihi vobiscum est, insidiosa cohors.
Eheu quam fallax vestra est, quam lubrica imago,
  Et qui mendaci fulget in ore nitor!
Immensum dum vos argenti pondus & auri
  Promitis, atque opibus regna superba novis,
Dum trabeam & fasces; artes fraudesque paratis,
  Pectoraque occultis luditis insidiis.
Ah trahe me, Deus alme, vagis erroribus actum,
  Ad sedes superas quo via ducit iter!

Item:

Suscipe, quae volat hinc, animam: Tu mortis in umbra
  Protege: Tu servum respice, totus ades!

Post-

SECT. XIV.

Poſtque tot exhauſtos, ſub Te Duce, Summe, labores
Triſtiaque auſpiciis exſuperata Tuis,
Sit portus, ſtatioque. Potes. Sint iſta precantis
Ultima, ſint voti verba ſuprema mei.
Exhalemque lubens; & jam Tuus. Alme, beato
Lumina da vultus conſpicienda Tui!

16.

Mors mundani.

Heu! quibus errorum tenebris verſamur! & omnes
Quam ſumus exiguae mentis, quam ſaepe malignis
Caſibus impliciti, nunc haec, nunc illa dolemus,
Innumeris tantum vitiis & fraude potentes.
Qui poſtquam paſſi fuimus mala plurima, tandem
Anguſtam & miſeram & ſceleratam linquere vitam
Cogimur, & putri deponere membra ſepulchro,
Mox carne abſumpta fieri ſine nomine pulvis.

17.

Horrida.

Naturae impulſu quippe hanc animalia quae non
Horreſcunt, fugiunt? haec vitam tollit, & omnes
Divitias ac delicias, corpusque reſolvit
In nihilum, remanetque nihil, niſi pulvis & oſſa,
Quae pariter pulvis longo poſt tempore fiunt.
Denique cuncta bona haec adimit, ſummumque malorum eſt,
Ergo tam dirum & tam formidabile monſtrum
Quem non terrebit, niſi cui ſit ferrea fibra?

18.

Mors ignoti ſibi acerba.

Illis mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

19.
Ergo resipiscendum in tempore.

Ergo vitales miseri, dum carpitis auras,
Dum compos mens ipsa sui est, dum certa facultas,
Dum ratio tempusque sinunt, simul ite frequentes.
Ite pii, veniam factis exposcite vestris:
Ite, animos purgate, orcique inhibete rapinas:
Et tandem patrio mentem convertito coelo.
Sic Rex ille hominum, vacui spoliator averni,
Oblitus scelerum cognatae stirpis amore,
Promissique memor, menteis intrabit amicas,
Vestraque posthabitis recolet praecordia templis.
Postque tot exhaustos vitae oblitusque labores,
Illo quo pluvias, quo pellit nubila vultu,
Ablutos labe excipiet, laetusque reponet
Sidereos inter proceres, sanctumque senatum,
Sub pedibusque dabit stellantia cernere claustra.

20.
Sepultura.

Jam sinite terrae mortuos gremio tegi:
Res unde quaeque sumpserat primordium,
Eo recipitur: Spiritus coelo redit,
Corpusque terrae: jure nec enim mancupî,
Sed brevis ad aevi tempus utendum datur,
Mox terra repetit ipsa quod nutriverat.

21.
Sepulchrum lectus mollis.

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta,
Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno?

Epi-

22.

Epitaphium.

Quis jacet hic? Nemo: vacuum fine nomine corpus
Hic jacet: ex folo corpore non fit Homo.

Nam

Cum morimur, morti nil nos concedimus ultra
Nervos atque cutem: Spiritus aftra petit.

Carmina plura Funerea vide apud Hoogftratanum *in fuis Poëmatibus.*



SECT. XV.

De RESURRECTIONE.

. . . . . . Anima & poft funera vivet:
Corporis hospitium (flatu coelefte reductis
Undique particulis) tandem fubitura prioris
Ut mox aethereis vivax fecum inferat aftris!
Scilicet, illa Tui Sapientia novit acuto
Permiftos hominum cineres difcernere vifu,
(Scis etenim quo ierant, & cujus quaeque favilla eft)
Difcretosque iterum componere in offa, cutemque;
Cuique fuam reddens animam; quae reddita membris
Fida meis rectrix, rediviva in corpore deget,
Et fecum in coelos rapto per fecula vivet
Angelicis choreis, turbaeque adjuncta fideli.
Devicta morte atque erebo; victoque Satane,
Æternos AGNI decantatura triumphos.



SECT. XVI.

DE ULTIMO JUDICIO.

QUisquis es, humanae perpende novissima vitae:
Imminet, heu! terris illa suprema dies.
Judicium statuet cum formidabile CHRISTUS,
Mercedemque piis, exitiumque malis.

§. I.
Judicium generale.

Judicabit judices Judex generalis;
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,
Sive sit Episcopus, sive Cardinalis;
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.
Ibi non proderit multa allegare,
Neque excipere, neque replicare,
Neque ad Sedem Apostolicam appellare;
Reus condemnabitur, nec dicetur, Quare?
Cogitate miseri, qui & quales estis,
Quid in hoc Judicio dicere potestis,
Illic non Codici locus, nec Digestis;
Idem erit Dominus, Judex, Actor, Testis.

2.
Exitus hujus Judicii in Infideles.

Tempus erit, cum vestra illum commissa notantem,
Multantemque reos, altaque in nube sedentem
Adspicietis & horrenteis tremor opprimet artus.
Nec jam ferre oculos flammarum ardore coruscos
Ac tumidos acie vultus contendere contra
Audebit quisquam sibi conscius. Ibit in igneis

Tur-

SECT. XVI.

Turba nocens, ſonteisque exſolvet corpore poenas:
Pallenteisque aeternum amneis, vaſtasque lacunas
Cocyti colet: & Furias horreſcet hianteis:
Atque animum monitis non intendiſſe pigebit.
Tunc vos exactae capient mala taedia vitae,
Experteis coeli, atque aurae, ſub nocte profunda:
Inque caput trifidos nequicquam optabitis igneis:
Et fruſtra erectas tolletis ad aethera palmas.
Quos superûm coetus, & fortunata piorum
Agmina vix lacrymis poterunt ſpectare retentis,
Invidiae ſtimulis, dirisque ultricibus actos.

3.

Eheu!

Difficilis coeli aſcenſus; deſcenſus averni
  Eſt facilis: multis hinc via lata placet.





SECT. XVII.

De VITA ÆTERNA.

Non nisi legitime certantibus & generose
Palma datur; fidei coelica porta patet.

§. I.

Vitam aliam sperate, aliam affectate; ubi nullus
Est fletus, nullus labor accidit, aut dolor, aut mors.
Nempe haec vos manet, haec dabitur post funera vobis,
Qui vitia odistis, sancteque DEUM coluistis;
Nec vestram in rebus terrenis spem posuistis,
Sed casti, innocui, veri, purique fuistis.

2.
Coeli laus.

O Coelum immensum! ô pulcherrima regia Divûm!
Quam pura es? quam perspicua & mirabilis! Et quot
Undique sideribus variis ornata renides,
Regia cunctarum plenissima deliciarum.
Nam, si tot pulchris & gratis rebus abundat
Terra, hominum locus ac pecudum, vilissima Mundi
Portio: quid de te censendum? Stant ubi Sancti
Coelicolae, rerum Domini, Regesque beati.
O utinam, postquam mea tristia fila Sorores
Lanificae implerint, liceat mihi corporis hujus

Exempto

Exempto latebris, illuc accedere, & illic
Deliciis tam mirandis sine fine potiri!

3.
Solium DEI.

Quo me, ingens anima, & nostris erepta tenebris,
Numinis & Coeli plenum, & terrestrium inanem
Abripis? En Divûm late diducta patescunt
Atria: sub pedibus nubes, & fulmina, & Euri,
Sideraque, & celeres mundi septemplicis orbes.
At supra multo formosum lumine & auro
Stat Solium, & longe radios circum undique fundit.
Hic sedet, hinc rerum causas moderatur, & orbem
A se pendentem partitis temperat horis
Æternus Divûm Genitor. Mille agmina circum
Aligerûm, pennis vultus atque ora tegentûm,
Observant nutus, majestatemque Sedentis.



EUCHARISTICON

Cùm

ORATIONE

Ab obtinendam DEI gratiam
In adproperante Senectute.

ALme PATER! coelî sapiens terraeque Creator;
Mundi SERVATOR! puri Instaurator Olympi;
FLAMINE cum SANCTO, Omnipotens DEUS, unus & idem!
Principium sine principio; Finis sine fine:
Omnia Divina prae Majestate gubernans.
Qui me formâsti, formatum in luminis oras
Edûxti; eductum servâsti, satque beâsti.
Et tredecim lustris natalia gaudia lustras; (a)
Quae pater, aut avus, aut proavus, non viderit ullus.
Hactenus, Hui! servas in sano corpore vitam;
Des modo tam seris animum natalibus aequum!
O sine, me precibus Vestras accedere ad aras!
Nam sine Te mihi nulla salus, & vivere mors est.
Sit mihi praecipue mens firma, spesque, fidesque!
Dum properatque cito pede jam male firma Senectus,
Ac aetas comitata malis, comitata periclis;
Ohe me ducas, & monstres qua sit eundum,
Ut faciam, quae grata Tibi, non grata relinquam:
Ne TIBI displiceam canus, nec devius errem
Tramite, qui nobis Coelestia lumina pandit.
Da, PATER Omnipotens! Tibi sim sapiens; patiensque
Sustineam mala, quae Tua dextra paterna potensque

De-

(a) Scribebam d. 14. Julii 1752. Natali 66. Lustris 13. impletis.

Decernat; dignasque Tibi persolvere grates
Sim praesto atque lubens, neve ullo murmure peccem.
Mi JESU! (namque Ipse Via es) sis Tu Comes ipse
Duxque meus; placide ZEPHYRI (b) spirantibus auris!
Ut bene decursis annis, ultroque volensque
Mundi animam saturam Tibi reddam. Suscipe CHRISTE!

(b) Per ZEPHYRUM intelligo SPIRITUM SANCTUM metaphorice. Nam *Zephyrus* Graecis Ζωηφόρος, *vitam ferens*: quia vitam dat plantis, *Genitalis mundi spiritus* dictus à *Plinio*. Latinis FAVONIUS, a *Favendo* vel *Fovendo*. Quemadmodum vero Ventus ille suo perflatu vitam naturalem dat plantis, ita SP. S. suo adflatu vitam spiritualem dat fidelibus.

Libellus.

O utinam ZEPHYRUS non dedignetur & ultro
Addere culturam! fertilis Hortus ero.

In Reprehensorem.

Owen.

Vade, Liber, vadas cos dentis acuta maligni,
In te quod laudet, nil habet invidia.
Innumero dicenda tibi sub Judice causa est;
Arbitrium de te non duo tresve dabunt.
Forsan & illectus temere damnabitur Autor;
Rarior & lector quam reprehensor erit.

Martial.

Si qua videbuntur chartis tibi, Lector, in istis
Sive obscura nimis, sive latina parum:
Non meus est error; nocuit Librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi.
Quod si non illum, sed me peccasse putabis;
Tunc ego te credam cordis habere nihil.

INDEX PARAGRAPHORUM.

Primus numerus Sectionem, *alter* Paragraphum *indicat.*

Per mare, per scopulos, *Zephyris* undisque secundis
Ducitur in placidum pansa carina sinum.

GLORIA SIT SUMMO LAUSQUE SUPREMA DEO!

NOTATA

Pag. 11. §. 32. lin. 5. pro? ponatur; P. 21. §. 8. l. 7. pro *illuc* pone *huc.* P. 38. §. 9. l. 2. pro *coecam* lege *caecum.* P. 76. §. 16. l. 5. pro *comitum* mallem *comitem.* P. 161. §. 102. l. 2. pro *&* lege *dum.* P. 172. §. 21. l. 5. pro *Otiosa* mallem *Onerosa.* P. 189. sect. 15. l. 5. *Tui* (nempe DEI.)

Quae plura irrepserint, pro sua humanitate flectat Lector in benigniorem partem. Advertat tamen, quod

Syllabicum vitium indocti fortasse putabunt,
Syllabicus quando non tamen error inest.

Malevoli vero hoc sibi scriptum cogitent:

Latratusque canum molestiorum
Omnes unius aestimamus assis.

